De figurarum in Titi Livi ab urbe condita libris usu

Dissertatio inauguralis

quam consensu et auctoritate amplissimi philosophorum ordinis in alma litterarum universitate Vratislaviensi ad summos in philosophia honores rite capessendos

scripsit

Waltharius Eckert

Silesius

Die IV. mensis Iulii a. MCMXI hora I. disseret doctorandus in Aula Leopoldina

De Ciceronis orationibus Caesarianis

Deinde erit promotio

Vratislaviae

Typis officinae A. Favorke

MCMXI

De dissertatione probanda ad ordinem rettulit
Franciscus Skutsch
Examen rigorosum habitum est Kalendis Martiis a. MCMXI

Francisco Skutsch

sacrum

Quicunque aliquamdiu Ciceronis libris legendis potissimum operam impertiverit, ad Livium reversus liberiore genere dicendi eius valde perturbabitur. Quod eo mirabilius videbitur, quod — ut iam Hertzius in prolusione ad historiarum editionem Lips. 1857 p. 17 sqq. rectissime admonuit — Livius ab arte rhetorica profectus Ciceronis de hac re praecepta diligentissime legit et — ut Hertzii verbis utar — in sucum ac sanguinem vertit. Ego quoque ut supra dixi commotus sum et initio diu multumque consideravi, utrum dignus sit Livius, qui vituperetur, quod elegantiam illam Ciceronianam et exemplum stili bene culti neglexerit, necne; sed Ciceronem non unum esse fontem sermonis Latini statuendum neque sola illius oratione, quaenam fuerit vera Romanorum dicendi consuetudo, demonstrari intellexi, sed suam propriam elocutionem excolere Livio licere, qua libertate largissime atque nonnunquam audacissime usus sit.

Quod iudicium satis esse firmatum cum diu putavissem, obstupefecit me locus ille Quintiliani (I, 5, 56 cf. VIII, 1, 3), qui Pollionem affert Patavinitatem Livi vituperantem, quamquam non dicit, quae ea sit Patavinitas. Quae qualis fuerit, ut perspiciatur, ab exitu saeculi septimi decimi usque ad nostra tempora tot et tanta subtilitate et elegantia conscripti libri[1]) prodierunt in

[1]) Liceat hoc loco florilegium afferre librorum, quibus de Patavinitate vel de sermone Liviano agitur: Rapin, La comparaison de Thucydide et de Tite Live, Paris 1681. Morhofius, De Patavinitate Liviana, Kilon. 1685 (exstat praeterea in eius Dissertat. acad. Hamburg 1699 et in edit. Drakenborch. XV, Stuttgart 1828). H. C. Crell, De T. Livii dictione, Francof. ad Viadr. 1729. id. De T. Livio aptissimo stili cultioris magistro, Frcf. 1732 (quorum librorum neutrum legi). D. Richter, Morhofii Patavinitatem Liv. recensuit variisque observationibus illustravit, Rostoch. 1744. Ch. J. Jagemann, Die Geschichte der freyen Künste und Wissenschaften in Italien I, Lpzg. 1777, p. 244. J. Chr. Briegleb, De Livio eiusque virtutibus, Coburg 1778 (qui liber mihi non in manibus fuit). A. G. Ernesti, De panegyrica Livii eloquentia, Lips. 1787.

lucem, ut — sed ne superbior esse videar, doctissimi viri verba

---

Meierotto, De candore T. Livii, Berol. 1796. id. De Livii arte narrandi et artificio historico, Berol. 1798. Thorbecke, Commentatio de C. Asinii Pollionis vita et studiis doctrinae, Lugd. Bat. 1820. Poppo, De Latinitate falso aut merito suspecta, progr. Frcf. ad Viadr. 1841 et 1850. W. Stange, De discrepantia quadam inter sermonem Ciceronianum et Livianum, progr. Frcf. ad Viadr. 1843. Kreizner, De propria orationis Livianae indole, progr. Hadamar 1845. Preller, PRE. IV (Stuttg. 1846), 1120. Loewe, De praepositionis „de" usu apud Livium, Grimmae 1847. Wiedemann, Quaestio de Patavinitate Liviana, progr. Gorlic. 1848, 1854, 1855. Leop. Ed. Köhler, De T. Livii Patavini vita ac moribus, diss. Berol. 1851 p. 9. G. Queck, Die Darstellung des Livius, progr. Sondershausen 1853; cf. Heerwagen, Fleckeisens Jahrbb. f. kl. Ph. I (1855), 200. Friedr. Seger, Thomas Babington Macaulay's Ausgewählte Schriften geschichtlichen und literarischen Inhalts, Braunschweig 1853, p. 156. Ed. Wesener, De quibusdam Livianae orationis proprietatibus, progr. Confluent. 1854. F. D. Gerlach, Die Geschichtsschreiber der Römer, Stuttgart 1855, p. 135. M. Haupt, Ind. lectt. Berol. 1855, p. 5 (opusc. Lips. 1876, II 69 sq.). Haase, Deutsches Museum von Robert Prutz, 1857, II, 897. O. Hendecourt, De vita gestis et scriptis Pollionis diss., Löwen 1858, quo libro non usus sum. Krah, Specimen grammaticae Livianae, Insterburg 1859. Hildebrand, Beiträge zum Sprachgebrauch des Livius etc., progr. Dortmund 1858, 1859, 1865, 1868. H. Taine, Essai sur Tite-Live², Paris 1860, p. 306. Ed. Wesener, De periodorum Livianarum proprietatibus, progr. Fulda 1860. Kallenbach, Über T. Livius im Verhältnis zu seinem Werke und zu seiner Zeit, Quedlinburg 1860, cf. Fleckeisens Jahrbb. 84, 385. Draeger, Untersuchungen über den Sprachgebrauch der römischen Historiker, progr. Güstrow 1860. Nissen, Kritische Untersuchungen über die Quellen der 4. und 5. Dekade des Livius, Berlin 1863, p. 23. Kühnast, Livius als Schullektüre, progr. Rastenburg 1863, p. 7, 1867, 1868. id. Die Hauptpunkte der livianischen Syntax, Berlin 1876, p. 1 sqq. Ed. Güthling, De Titi Livi oratione I, Lauban 1867, II, Liegnitz 1872. Mor. Mueller, Beiträge zur Erklärung und Kritik des Livius, progr. Stendal 1868 et 1871; id. Fleckeisens Jahrbb. 1869 (XV), 339. W. Lorenz, Beobachtungen über den Dativ der Bestimmung etc. bei Livius, progr. Meldorf 1871 et 1874. Sonnek, Qua ratione et quo consilio Livius res gestas Romanorum tractaverit; progr. Iglaviens. 1872. J. N. Madvig, Kleine philologische Schriften, Lpzg. 1875, p. 356. O. Riemann, Études sur la langue et la grammaire de Tite-Live, Paris 1879. cf. Jac. Walser, Stilwahrheit u. Stilschönheit in Caesars Periode mit Einberufung der Periode des Livius, Wien 1880, progr. K. Sittl, Die lokalen Verschiedenheiten d. lat. Sprache, Erlg. 1882, p. 33. Jonas, Die verba frequentativa bei Livius, progr. Posen 1884. Weißenborn-H. J. Mueller, ed. I⁸, Berol. 1885, p. 64. Sabbadini, Rivista di filologia XV (1886), p. 4; id. Vergilio Eneide VII—IX. Torino

afferam [2]) — risum vix teneamus [3]) considerantes, quantam molem doctrinae quotque exercitationes sagacitatis moverit iudicium viri morosi perpetuique aequalium obtrectatoris. Neque vero fugit me omnes fere viros doctos, qui de hac re usque ad nostra tempora disputaverint, paucis exceptis ad res grammaticas spectare neque ea indagare ornamenta orationis aut pervestigare, quae figurarum nominibus complectimur. Mirum hoc quidem videtur, quod de celeberrimo rerum a populo Romano gestarum scriptore in eam rem nihil est quaesitum, de qua apud poetas multo minoris aestimandos iam diu commentationes accuratissime compositae ex-

---

1887, praef. p. 5. W. Heraeus, Vindiciae Livianae I, Hanau 1889. II, Offenbach 1892. v. Scala, Zeitschr. f. österr. Gymn. 43 (1892), p. 108. C. Haupt, Anleitung zum Verständnis der livianischen Darstellungsform, Lpzg. 1892. Ed. Wolff, Ztschr. f. kl. Ph. XVI (1892), p. 99, qui recenset Pietro Rasi, Della così detta Patavinità di Tito Livio, quem librum non legi. Deecke, Berl. phil. Wchschr. 1893 (13), 835. Leop. Winkler, Der Infinitiv bei Livius in den Büchern I, XXI, XLV. progr. Brüx 1895. Moczyński, De Titi Livi in libris ab urbe condita propria elocutione quaestt. progr. Deutsch-Krone I, 1901 II, 1903. E. Kornemann, Thukydides und die römische Historiographie. Phil. 63 (N. F. 17), 1904, p. 150. Leo, Kultur der Gegenwart I, 8², Lpzg. 1907, p. 371; 432. Norden, Antike Kunstprosa², Leipz.-Berlin 1909, p. 234. id. Einleitung in die Altertumswissenschaft (edd. Gercke et Norden), Lpzg. 1909, I, 510. Witte, Über die Form der Darstellung in Liv. Geschichtswerk (Rh. M. N. F. LXV 1910), 270 et 359. His libris non sum usus: Ad. Schmidt, Zum Sprachgebrauch des Livius, St. Pölten 1894. id. Beiträge zur livianischen Lexikographie, Baden 1888, Waidhofen 1889 et 1892. St. Pölten 1903 et 1905. Novák, studia zu Livius, Prag 1894; id. České museum filologické I, VI, VII: Liviana. T. Tschernjaew, Des traces de Térence dans Ovide, Horace et Tite Live, Kasan 1900. A. Rettore, Tito Livio Patavino precursore della decadenza della lingua latina, studio critico, Prato 1907. R. B. Steele, The Historical Attitude of Livy. Am. Journ. Phil. XXV, 15. — Multos libros allatos invenies apud hos viros: Bähr, Geschichte der römischen Literatur II, Carlsruhe 1869, p. 172. Nicolai, Geschichte der römischen Literatur, Magdeburg 1881, p. 541. Teuffel-Schwabe, Gesch. d. r. Lit.⁶, Lpzg. 1910; II, 125. Schanz, G. d. r. L. II³1, 437, Münch. 1911. Maximi sunt momenti ea, quae collegit H. J. Müller, Jahresber. des Berliner philolog. Vereins I (1875) sqq. Wölfflin, J. B. 3 (1877), 731. Eußner' 10, 207 (1879), Heraeus 80 (1894), 119, Fügner 97 (1898), 61; 105 (1900), 259.

[2]) Kleine, De genetivi usu Liviano, progr. Cleve 1865, p. 4.

[3]) Eadem fere centum fere annis ante dixit: Tiraboschi, Storia della letteratura Italiana, Venezia 1795, tom. I, part. III, cap. III, § XI (p. 270).

stant. Quae cum ita sint, me de figuris a Tito Livio adhibitis scribentem facturum operae pretium spero.

Sed quoniam de figuris, quae ornamenta orationis rhetores imprimis excoluerunt, quaerimus, orationes ficticias[4]), quas Livius Thucydidem secutus narrationi interposuit, quin respiciamus facere non possumus. Quae orationes semper fere summis laudibus celebratae sunt[5]). Qua in re inter singulas totius operis partes aliquid intercedit. In primis enim libris primae decadis historiarum Livius orationes neglegit et colloquia quaedam tantum et verba necessitate quasi expressa oratione directa affert, sed in insequentibus libris, cum certamina patrum plebisque de aequando iure narrat, cum contiones turbulentas describit, cum quae aguntur in curia fusius exponit, orationes saepius narrationi inserit et ad exempla clarissimorum rhetorum effingit. Atque utrum differentiae quaedam intercedant inter primae decadis libros et quintae, id quod de totius operis colore testimoniis virorum doctissimorum constat[6]), necne, posteriore loco explicabimus. Quem in omnibus libris historiarum non semper eundem esse posse vel ex eo elucet, quod Livius ad componendum tantum opus, cuius maxi-

[4]) Weißenborn-Mueller 62. Chr. Hand, De Livio oratore, Lips. 1773. H. Ulrici, Charakteristik der antiken Historiographie, Bln. 1833, p. 123. Westermann, Gesch. der Beredtsamkeit in Griechenland u. Rom II, Lpzg. 1835, p. 15. Kohl, Über Zweck und Bedeutung der Livianischen Reden, Barmen 1872. E. Walther, De Taciti studiis rhetoricis, diss. Halis Sax. 1873, p. 16. Rodenwaldt, De orationum Tacitearum fide historica, Jenae 1875, p. 1. Seebeck, De orationibus Taciti libris insertis, progr. Celle 1880, p. 1, cf. Eußner, Phil. Rundschau I (1884), p. 414. Schnorr von Carolsfeld, Über Reden und Briefe bei Sallust, diss. Lpzg. 1886, p. 1. Friedersdorff, De orationum operi Liviano insertarum origine et natura, Tilsit 1886. Anacker, De orationibus et epistulis Taciti operibus intextis, diss. Marburg 1889, p. 3. Soltau, Livius Geschichtswerk, Lpzg. 1897, p. 3 et 5. H. Peter, Die geschichtliche Literatur über die römische Kaiserzeit, Lpzg. 1897, p. 298 et 306. R. Heinze, Virgils epische Technik, Lpzg. 1903, p. 327. Hos libros accipere non poteram: E. H. Borger, De ficticiis apud nonnullos historicos obviis orationibus, Harlem 1820. Jos. Flierle, Über Nachahmung des Demosthenes, Thucydides und Xenophon in den Reden des Dionys von Halikarnaß, München 1890.

[5]) C. Wachsmuth, Einleitung in das Studium der alten Geschichte, Lpzg. 1895, p. 591; dissentit Quint. 3, 67, 68.

[6]) Wölfflin, Antiochus von Syrakus und Cölius Antipater, Winterthur 1872, p. 85 sqq.

mam partem nos amisisse dolemus, spatio multorum annorum egebat, quorum ad finem non idem erat atque initio, sed doctior et eruditior ad res gestas Romanorum describendas. Quae cum ita sint, id semper respiciemus, num usus figurae alicuius et in orationibus et in simplici narratione alius sit in primis libris atque in posterioribus.

Rem ipsam intuenti mihi omnes orationes, quae in primae et quintae decadis libris — hos enim tractandos sumpsi — exstant et minimas et maximas quam diligentissime tractare initio in animo erat, sed mox mihi persuasi id prae mole materiae fieri non posse, nisi orationes solas perquirere vellem. Qua re eas tantum elegi, quae rhetorice aliquo modo exornatae sunt vel longitudine ut tractentur postulant; quo fit, ut non certo numero linearum orationes rhetoricas determinaverim, sed toto nexu et ipsis ornamentis examinatis eas elegerim. Rectae autem et obliquae orationis usum non semper eundem esse nonnullis locis demonstrare conabor.

Ad rem ipsam accedenti mihi de ipsa figurarum doctrina pauca praemittenda videntur. Quam copiose tractavit Volkmann, vir ille doctissimus, egregio libro suo: Rhetorik der Griechen und Römer, Lpzg. 1885 [7]).

De terminis technicis disseruerunt [8]):

Ernesti, Lexicon technologicae Graecae, Lips. 1795.

H. Monse, Veterum rhetorum de sententiarum figuris doctrina diss. (D), Vrat. 1869 et progr. (P), Waldenburg 1874.

Dzialas, Rhetorum antiquorum de figuris doctrina, Vrat. 1869.

P. Groß, Die Tropen und Figuren, Köln 1881 [9]).

---

[7]) Ab eodem conscriptus est liber „Rhetorik" in Iwan v. Müllers Handbuch der klassischen Altertumswissenschaft (II, 3); cuius editionem alteram curavit Hammer, München 1901.

[8]) Vossius, Commentariorum rhetoricorum libri VI, Lugd. Bat. 1643. Aug. Matthiae, Eloquentiae Latinae exempla, Lips. 1832. Schleiniger, Grundzüge der Beredtsamkeit, Freiburg i. B. 1859. Kleutgen, Ars dicendi, Taurini 1876 in manus meas non venerunt. Kleutgeni verba, quae saepius a Straubio afferuntur, ego quoque hunc secutus nonnunquam proferam. — Nonnulli libri, qui ad nostram quaestionem pertinent, afferuntur a G. Landgraf, Literaturnachweise und Bemerkungen zur lat. Schulgrammatik[3], Bamberg 1894.

[9]) cf. F. Mueller, Berl. phil. Wchschr. X (1890), 257. H. Thomas, Phil. Rundsch. I (1881), 1004.

Gerber, Die Sprache als Kunst, Bromberg 1873.
Straub, De tropis et figuris, quae inveniuntur in orationibus Demosthenis et Ciceronis, progr. Aschaffenburg, Wirceburgi 1883[10]).

Sed cum multa ornamenta orationis neque a cottidiana consuetudine dicendi neque inter se magnopere differant[11]), ut difficillimum sit statuere, quousque et totius generis et singularum partium ratio ac vis pertineat, praesertim cum doctissimi viri omnium temporum et maxime antiquitatis in adhibendis terminis valde differant[12]) alius ab alio, me semper quae illi docent breviter afferre, singula et dispersa componere, ad certas principales notiones referre necesse erit. Quam rem breviter tractabo, cum doctissimi viri[13]) iterum atque saepius de hac re disseruerint, ut ridiculum et supervacaneum esset, si equidem sententiam meam fusius proferre vellem.

In generum autem divisione cum Straubium de plurimis rebus sequar, qui ordinem a veteribus traditum recepit, eis dicendi ornamentis neglectis[14]) *in quibus appareat translatio aliqua, i. e. verbum ex eo loco, ubi proprie dicitur, in eum transfertur locum, ubi non est proprium, . . . quod genus a Graecis τρόπος vocari solet*[15]), ad figuras accedam, quae ornamenta propriis verbis conficiuntur; figurae autem distribuuntur in verborum et sententiarum figuras. Neque vero omnes figuras, quae a veteribus traduntur, tractandas

---

10) Hic maxime laudandus est, quod solus adhuc omnium troporum et figurarum usum apud duos oratores diligentius tractavit, ceteri autem, quorum nonnullos postea commemorabo, paucorum vel troporum vel figurarum semper usum tractandum sibi elegerunt.

11) cf. Wackernagel, Poetik, Rhetorik und Stilistik ed. Sieber, Halle 1873 p. 381 sqq.

12) Nonnulla de hac re praeter alios collegit Thilo Krieg, Quaestiones Rutilianae (commentt. Ienens. 1896, p. 23 sqq.).

13) Spero me omnes libros collegisse, quibus de figuris agitur. Innumerabiles fere sunt, qua re multos, qui minoris sunt momenti, uno tantum loco citavi, multos omnino praetermisi maximeque eos libros, qui de aliis quibusdam auctoribus sunt sive Romanis sive Graecis. Nonnullos libros prae multitudine me fugere potuisse, facile concedam.

14) Haec ornamenta tractaveram priore parte dissertationis amplissimo ordini philosophorum traditae, quam quominus et ipsam iam nunc publici iuris faciam temporis et spatii angustiis impedior.

15) Straub 2.

sumpsi. sed in hac quoque re Straubii auctoritatem secutus sum, qui recte dicit, nisi circumcidamus genera a veteribus prolata rem in immensum serpere.

In exemplis afferendis res magnam habet difficultatem. Difficillimum enim est cognoscere, utrum orator vel scriptor tropum quendam vel figuram consilio atque ratione adhibuerit, an natura ipsa linguae adductus an casu eo usus sit. Sed cum in universum iudicium feramus, hoc minoris esse momenti videtur, quod nobis quaerendum est utrum eis saepe an raro sive consilio sive casu usus sit. Sed id quoque fieri potest, ut illa tantum exempla, quae consilio posita sunt, esse colligenda putes[16]; qua re multi quin a mea quidem sententia, qui omnia orationis ornamenta quam diligentissime collegi, ut eorum ope summatim usum illustrem, dissensuri sint, non dubito.

Veniam me impetraturum esse spero, si nonnulla exempla praetermisero, nam cum in omnibus rebus vel diligentissimus quisque nonnulla neglegit, tum in tropis et figuris prae exemplorum multitudine et terminis incertis quasi necesse est, quaedam praetereas.

Quibus in universum praemissis ad rem ipsam accedamus et agamus

De figuris[1])

in quibus maximae exstant difficultates, nam rhetores veteres tantum numerum figurarum tradiderunt, ut satis certe alia ab

[16]) Quo modo viri docti dissentiant de hac re ex his apparebit. Priusquam ad hanc dissertationem componendam aggressus sum, orationibus Ciceronianis operam dedi et praeter alias Ligarianam perquisivi. In qua mea quidem sententia plus quam triginta exempla paronomasiae inveniuntur. Guttmann, de earum quae vocantur Caesarianae orationum genere dicendi, Gryph. 1883, sex tantum exempla affert, de quibus haec facit verba: *Haec omnia sunt, quaecunque secundum rhetorum definitiones huc pertinere posse videbantur. Sed omnia haec natura non captata sed velut oblata.* Non aliter G. et de ceteris figuris et in ceteris orationibus iudicat.

[1]) Straub 78. Volkm. Rhet. 456. Iw. Müller II, 665. Groß 131. Dzial. 3. Gerb. III, 143, II2, 1. Hugo Blairs Vorlesungen über Rhetorik und schöne Wissenschaften. Aus dem Englischen übersetzt etc. von K. G. Schreiter, II,3, Liegnitz-Leipz. 1786. F. Theremin, Die Beredt-

alia discerni non possit[2]), quo fit, ut hic quoque acutas ineptias inveniamus, qualia vix in alia veterum doctrina exstant; qua re quod recentiores viri docti, ut hanc molem figurarum accurate et dilucide exponerent, operam dederunt, mirari non possumus; quorum sententiis conisus priusquam paulo accuratius de singulis figuris disseramus, liceat pauca de universa hac re praemittere. De figuris, quas Gorgias Leontinus, huius artis princeps, invenisse, quibus, cum eis tractandis maximam operam daret, usus esse intemperantius atque effusius dicitur[3]), Volkmannus l. l. haec disseruit: „Der Tropus hat es also mit dem einzelnen Worte zu tun, an dessen Stelle ein anderes gesetzt wird, die Figur dagegen mit der inneren Verbindung der Worte unter einander, welche verändert wird, ohne daß die ursprüngliche Bedeutung der Wörter verändert würde."

Dividuntur autem figurae in rhetoricas et grammaticas, quas inter se discernere nonnunquam difficile est, cf. ellipsin, quam in rhetoricam et grammaticam dividere potes. Sed tota huius dissertationis natura fert, quippe quae ad vim spectet rhetoricam, ut grammaticas figuras neglegamus[4]).

Rhetoricae quidem figurae a Theophrasto in sententiarum et verborum figuras divisae sunt, sed differentia a posterioribus demum, qui hanc doctrinam diligentius excoluerunt, certius constituta est.

Sed iam ad eas ut transeamus figuras, quas priores tractandas instituimus, tempus vocat, i. e. ad

samkeit eine Tugend, oder Grundlinien einer systematischen Rhetorik. Berlin[2], 1837, p. 185 (editionem Gothae 1888 accipere non potui). Wiskemann, Commentatio de veterum oratione translata sive figurata. Hersfeld 1843, p. 4; cf. Klotz, N. Jahrb. 40 (1844), 131. Ea quae Moczynski I, 21 de hac re disseruit, nullius momenti sunt. Ioh. Müller, De figuris quaestiones criticae, Gryphisw. 1880. Cf. Ad. Philippi, Die Kunst der Rede, Leipz. 1896, p. 222. Drerup, Jahrbb. 27 (1902), 258.

[2]) cf. Franke, De Silii Italici figuris (Festschr. d. 43. Philol. Versammlung Bonn 1895, p. 24).

[3]) L. Spengel, *συναγωγὴ τεχνῶν*, Stuttgardiae 1828, p. 63. Cic. or. 172. Dion. Hal. De Thucyd. iud. 24.

[4]) De his disseruit minus ut mihi quidem videtur laudabiliter Willmann, De figuris grammaticis, diss. Berol. 1862.

Sententiarum figuras[5])

sive *διανοίας σχήματα*, ut Graeci dicunt, quarum *natura in eo posita est, quod formam enuntiationum accommodate ad animi sensum mutat*[6]). Ac primum de eis huius generis formis agamus, quae

I. Homoeosis[1])

nominantur. Est autem h. *minus notae rei per similitudinem eius, quae magis nota est, demonstratio*[2]) vel secundum Tryphonis definitionem[3]): *λόγος διὰ παραθέσεως ὁμοίου πράγματος τὸ ὑποκείμενον μετ' ἐνεργείας παριστάνων.* Homoeosis, ut Straubii verbis utar, *in tres species dividi solet: εἰκόνα, quae a Latinis imago appellatur, παραβολήν, quae etiam similitudo sive collatio dicitur, παράδειγμα sive exemplum, quorum distinctio difficilis est.* Sed haec hactenus. Qui etiam plura requirit, eum ad ea, quae Straubius l. l. egregie et copiose disseruit, revoco. Iam vero exempla afferam, quae secundum genus et formationem distribuam, cum veterum divisio non sit satis certa.

---

[5]) Straub 81. Volkm. 488. Groß 191. Ferd. Schultz, Latein. Sprachlehre, Paderborn 1871, p. 596. Chaignet, La rhetorique et son histoire, Paris 1888, p. 497.

[6]) G. Hermann, opusc. acad. I, 107.

cap. I adn. [1]) Straub 81. Volkm. 443. Groß 239. Monse P. 11, qui cum Volkm. figuris homoeosin abiudicat. Blair 107. Remacly, De comparationibus Homericis, Marcoduri 1843. C. H. Müller, De similitudinibus imaginibusque apud veteres poetas elegiacos, Bremis 1887, p. 2. K. Bruchmann, Psychologische Studien zur Sprachgeschichte, Leipzig 1888, p. 248. Aug. Wünsche, Die Bildersprache des alten Testaments, Leipzig 1906, p. 1. R. M. Meyer, Das Gleichnis, N. Jahrb. f. d. kl. Alt. 21 (1908), p. 63. De Livio, qui nova et inusitata exempla vix adhibet, fortasse illud quodam modo valet, quod Wunder, Polybius-Forschungen III (Gleichnisse und Metaphern) Leipzig 1909, p. 114 exponit: „je stabiler das Leben eines Volkes verläuft, desto mehr wird die Bildersprache sich gleich bleiben, während neue Zeiten auch eine Fülle neuer Anschauungen, neuer Bilder bringen.“ Nonnullae commentationes de usu poetarum epicorum Latinorum, quae minoris momenti sunt, afferuntur a G. Hundt, De M. Annaei Lucani comparationibus, diss. Hal. Cothenis Anhalt. 1886, p. 3 adn.; cf. M. Holzman, De comparationis quae dicuntur in graeca et latina lingua particulis, diss. Hal. Sax. 1866.

[2]) Beda, Rhet. Lat. min. ed. Halm (H.) 618.

[3]) Spengel, Rhet. Graeci (Sp.) III, 201.

Velut ad homoeosin formandam longe saepissime usurpatur; quae vox in primis libris alia genera homoeoseos plane superat, sed in insequentibus libris dimidio tantum atque minore parte exemplorum continetur[4]). In orationibus aliae particulae saepius quam *velut* inveniuntur, quod valde mirum videtur. Nunc nonnulla exempla afferam: 1, 12, 7[5]) *v. si sensisset auditas preces*; 25, 3 *terni iuvenes v. acies concurrunt*; 26, 13 *v. sub iugum misit.* [2, 48, 9 *v. familiare bellum*[6]). 4, 33, 4 *v. examen apium.* 40, 5, 1 *novam v. flammam invidiae*; 13, 8 *v. transiliendum ad aliud consilium*]. 41, 1, 3 *Anconam v. cardinem.* 42, 2, 4 *v. nubibus lucustarum.* 44, 31, 2 *v. regni totius arcem* rell.

Eodem modo adhibetur *veluti*: 2, 55, 8 *v. ad proelium se expediunt*; cf. 3, 13, 10. [44, 22, 9]; 35, 23.

Sequitur ut agam de particula *tamquam*, quae circa quadragies in dec. I, in V tricies invenitur, cuius numeri dimidium fere in orationibus est: 1, 60, 2 *Tarquinius Gabios t. in suum regnum profectus.* [2, 34, 9 *t. a latronibus redemptus.* 4, 3, 7 *t. servum aut libertinum aliquis consulem futurum dicat*]. 40, 58, 7 *t. ex naufragio* (i. e. ex clade). 43, 7, 3 *t. certis sociis.* [45, 24, 9 *Philippum, Antiochum, Persea t. tris sententias ponite*; 39, 14 *t. rure rediens*] rell.

---

[4]) Si quis numeros amet, cum eos non plane neglexerim, adnoto ca. CCL exempla me invenisse in dec. I, ca. L in orationibus i. e. quintam partem: circiter XC exempla exstant in libris decadis V, quorum tertia fere pars in orationibus legitur. — Non alienum videtur a re hoc loco admonere te saepius esse lecturum: „rarius“ vel „crebrius in dec. V quam in I.“ Quae ne falso intellegantur, in memoriam revoco esse decadem I : V = 5 : 2, quo fit, ut si aequum numerum inveniri exemplorum in dec. I et V legis, numeros ipsos in dec. I esse maiores, sed pro portione esse aequos intellegendum sit.

[5]) Praeter ceteras editiones adhibui eam, quam curaverunt Weißenborn-H. J. Müller, Berolini apud Weidmannos I[8] 1885. II[8] 1894. III[6] 1900. IV–V[6] 1896. VI–VIII[5] 1886. IX–X[5] 1890. XXXIX–XL[3] 1909. XLI–II[3] 1909. XLIII–IV[2] 1880. XLV[2] 1881: qua utilior multis in rebus mihi erat: Mor. Müller, Titi Livi ab urbe condita liber I, Lpzg. (Teubn.)[2], 1888. II 1878. Libros insequentes edidit Luterbacher, III 1885, IV 1886, V 1887 etc. X 1892, quos plane fere neglexi, cum vir d. magis in usum scholarum editionem instituisse videatur. — De omnibus exemplis a litteris *a* et *b* incipientibus conferendus est Fr. Fügner, Lexicon Livianum I, Lips. 1897, cuius insequentes partes in lucem non prodibunt.

[6]) [ ] ea exempla significavi, quae oratione recta, ‖ ‖ quae oratione obliqua continentur.

Sicut multo rarius est: 2, 54, 9 *s. acies funditur duce occiso, ita dilapsi passim alii alio.* [4, 49, 13 *auditis s. servis malum minitantem militibus?* 42, 40, 3 *s. medici*]. 44, 36, 10 *s. prioribus ducibus*; simill.

Pari fere numero exstant hae voces: *similis*: 4, 33, 3 *incendio similius quam proelio*; ibd. 8 *ruinae similem stragem*; cf. 42, 66, 8. ‖ 4, 35, 9 *portento simile miraculoque* ‖; cf. 6, 13, 3. 40, 22, 7 etc. Neque minus huc trahendum videtur: [5, 5, 12 *haec sunt consilia vestra, non hercule dissimilia ac si quis aegro cibi gratia morbum efficiat.*]

ut: 2, 40, 5 *Coriolanus prope ut amens consternatus.* [7, 40, 12 *dum vobis singulis, ut olim Coriolano matres obviam veniant.*] 41, 7, 6 *se quoque ut illos.* 42, 29, 2 *prope ut victuma*; cf. [40, 8] etc.

modus vox varie usurpatur atque nonnunquam vi rhetorica plane fere carere videtur:

a) 2, 28, 6 *in contionis modum.* 5, 8, 3 *lixarum in modum*; 15, 4 *vaticinantis in m.* 44, 9, 9 *imbris i. m.*; cf. 6, 14, 11.

b) 3, 33, 1 *ad decemviros, quem ad modum ab regibus ante ad consules venerat, translato imperio*; cf. [5, 3, 8 *quem ad m. — pariter.* 8, 6, 6]. 9, 5, 3.

c) 5, 33, 7 *Italia insulae modo cingitur.* ‖ 8, 34, 10 *latrocinii modo.* 9, 5, 7 *beluarum m. caecos in foveam lapsos* ‖; cf. 10, 44, 4. [40, 27, 12]. 44, 41, 7.

Quibus adiungam nonnullas formulas, quae raro tantum inveniuntur: [3, 68, 8 *mulierum ritu*]. ‖ 4, 2, 6 *ferarum prope ritu* ‖; cf. 5, 44, 6; 53, 8. 7, 17, 4; a quibus non multum absunt 6, 31, 6 *latrocinii more.* 44, 9, 9 *pugnantium m.* [5, 52, 3 *quam par vestrum factum ei est* e. q. s.]. Non dissimilia sunt: 1, 31, 2 *in conspectu haud aliter quam cum grandinem venti glomeratam in terras agunt.* 5, 43, 8 *nec secus quam divino spiritu tactus.* [7, 13, 6 *haud secus quam feminas*]; cf. 40, 22, 4. [42, 13, 1] rell. 7, 3, 9 *perinde ac rei gerendae non solvendae religionis gratia creatus esset*; cf. 9, 25, 9. 40, 58, 3 *quali tempestate Gallos fama est peremptos esse, talis . . . oppressit.*

Non neglegenda, sed ut mihi quidem videtur, non magni momenti sunt talia: 8, 35, 9 *firmatum imperium militare haud minus periculo Q. Fabi, quam supplicio miserabili adulescentis*

Manli videbatur; cf. 44, 11, 3. 9, 36, 1 *magis horrenda quam nuper fuere Germanici saltus.*

Sed haec hactenus; iam de universo huius figurae colore atque usu pauca disseramus. Qua splendorem aliquem effici nemo est qui neget, praesertim cum Livius vitium usus frequentioris fugerit. Nonnunquam exempla per multa capita omnino desunt, cuius rei causa ex materia repetenda est, raroque plus duo exempla ita cumulata invenies, ut satietas quaedam nos capiat. Livium tontes quasi sive bestiarum vitam sive hominum sive artem navalem habuisse, ex quibus praecipue exempla et imagines sumpserit, dici non potest. Invenimus huius figurae exempla aequo fere numero in posterioribus libris atque in prioribus.

Sed iam ad eam progrediamur figuram, quae similiter atque homoeosis res magis explanat, quae ab auct. ad Heren. 4, 53, 66 conformatio, a Graecis[1])

II. *Προσωποποιία*[2])

nominatur et sic describitur: *cum aliqua quae non adest persona confingitur, quasi adsit, aut cum res muta aut informis fit eloquens et forma ei et oratio attribuitur ad dignitatem accommodata aut actio quaedam.* Simplicissima huius generis forma mihi exstare videtur, cum secunda persona usurpatur in eis, quae non ad certam personam convertuntur. Conformationi haec quoque exempla subicienda esse puto[3]), quibus orator adversarium aut quemlibet eorum, qui audiunt, recta oratione loquentem facit.

Veram conformationem sive prosopopoeiam, qui terminus usitatior est, apud Livium ut apud historicum omnino rariorem esse et nisi in orationibus fere non inveniri ex tota huius figurae natura elucet.

Secunda persona de hominibus, qui non nominantur, adhibetur,

c. II adn. [1]) cf. Zon. Sp. III, 162.

[2]) Straub 87. Monse D. 16. Volkm. 489. Blair 89. Haec figura non confundenda est cum genere quodam metaphorae: cf. H. Gebbing, De C. Valerii Flacci tropis et figuris, diss. Marburgi 1878, p. 21. Jos. Franke, De Tib. Silii Italici Punicorum tropis, diss. Monast. Guestfal. 1889, p. 43. — Nescio sitne huc trahendus liber a Grauero conscriptus: Über die persona figurata, 1842, quem accipere non potui.

[3]) auctoritatem secutus Alex. Num. Sp. III, 21, qui *ἠθοποιίας* nomine utitur.

quae forma esse grammatica magis quam rhetorica videtur: 2, 17 *libertatis originem inde magis numeres*; ‖ 3, 3 *regem hominem esse, a quo impetres*: ibd. 4 *leges nihil veniae habere, si modum excesseris* ‖; cf. 21, 4; 35, 5; 43, 9. 41, 13, 8 simill. Insignius exemplum exstat, ubi furculas Caudinas Livius describit: 9, 2, 8 *sed antequam venias ad eum* (sc. campum), *intrandae primae angustiae sunt et aut eadem, qua insinuaveris, retro via repetenda aut, si pergas, per alium saltum evadendum*; 19, 6 *adde quod Romanis ad manum domi supplementum*. In libris IV, VII, VIII, X, XLIII huius modi exempla non inveni.

Aliud genus prosopopoeias, quod apud Liv. invenitur, exstat [5, 3, 7 *nisi forte hoc dicitis: quidquid patres* e. q. s. 6, 18,9 *bene facitis quod abominamini: „di prohibebunt haec.“* cf. 40,13; 15; 19; 41,8; 9,9, 6; 34,16. 40,11, 7; 14,5. 45,37, 9] simill. Rarum in Livi historiis hunc usum esse, qui nonnunquam προκαταλήψει, de qua infra agetur, similis est, si numerum orationum earumque longitudinem, quae satis est dispar, consideremus, dici non potest; sed insignis huius figurae vis semel tantum invenitur, eam dico, qua res muta aut informis fit eloquens [5, 4, 7 *an, si ad calculos eum res publica vocet, non merito dicat: „annua aera habes, annuam operam ede. an tu aecum censes* e. q. s.].

Sed cum de hac re me satis fecisse verborum putem, progrediamur ad

III. Apostrophen[1]),

quae conformationi simillima est, nam hic quoque oratio ab iudice vel eis, qui audiunt, avertitur. Et ius iurandum rhetoricum et obsecrationes et obtestationes huc cadere videntur, quo fit, ut nonnunquam in simplici narratione quoque haec figura inveniatur. Sed valde cavendum est, ne falsa huius figurae nomine complectamur. Nonnulla enim occurrunt, quae indiligenter inspicienti huc cadere videntur ut haec ex libro I: 10,6 *Iuppiter Feretri, inquit*; 12,5 *at tu, pater deum hominumque*; cf. 59,1; 12,4 et 6; 18,9; 24,7 et 8; 32,10; quae formulae rhetoricae non sunt neque

---

C. III. adn. [1]) Straub 88. Volkm. 500. Groß 204. Blair 99. Monse D. 14. Dzial. 26. Gerb. II 2, 61. cf. Quint. 9,2, 38. Rufinianus H 454 conversionem hanc figuram nominat.

ullam vim ad excolendam orationem habent. Aliter res se habet in eis quae sequentur exemplis.

Satis frequenter adhibetur[2]) *hercule* vel *hercules*, quae vox iam omnem vim figuratae dictionis amisit et in usum cottidianae linguae transiit: || 2, 28, 4 *unum h. virum qualis Appius Claudius fuit* ||; cf. [3, 19, 6 et 11; 68, 6] etc. Haec vox nonnunquam in orationibus maximeque in directis, multo rarius in simplici narratione invenitur; cf. 7, 11, 1; 8, 38, 10. 10, 46, 7. Similiter ex sermone cottidiano usurpatur [3, 67, 7 *pro deum fidem, quid vultis?*[3]) cf. 44, 38, 11].

Insigniora haec sunt: 3, 17,6 in extrema oratione P. Valerius deos implorat, quo vis verborum valde augetur: [*Romule pater, tu mentem tuam da stirpi tuae*; cf. 5, 52, 7. 8, 6. 5. 9, 8. 8]. — Aliter res se habet in his, quae levissima sunt: 3, 21, 7 in oratione, quae ad patres habetur: [*te vero, C. Claudi, adhortor, ut et ipse* e. q. s. cf. 41, 24, 15. 45, 37, 9] Multo esse insignius videtur exemplum 9, 1, 7 ubi C. Pontius, imperator Samnitium, apud suos orationem habet de bello cum Romanis gerendo, in qua ipsos Romanos adloquitur hoc modo: [*Quid ultra tibi, Romane, quid foederi, quid dis arbitris foederis debeo? quem tibi tuarum irarum, quem* e. q. s.].

Saepissime apostrophes exempla ei figurae quoque attribui possunt, quae appellatur ab auct. ad Herenn.[1])

IV. Exclamatio[2])

et sic definitur: *excl. est, quae conficit significationem doloris aut indignationis alicuius per hominis aut urbis aut loci aut rei cuiuspiam compellationem.* Hanc figuram, quae vehementior est quam omnes, quas adhuc tractavimus, quippe cuius vis in significatione affectuum supra commemoratorum sit posita, in nostris libris esse raram nemo mirabitur, neque multa invenies, quae accurate ad

[2]) cf. adn. Mülleri ad 1, 7, 10. Jac. Wackernagel, Indogerm. Forschungen I (1892), 412 et 423. Accipere non potui F. W. Nicolson, the Use of hercle (mehercle), edepol (pol), castor (mecastor) by Plautus and Terence. Vol. IV of Harv. Studies in Class. Philology. Boston 1893.

[3]) cf. C. F. W. Müller, Syntax des Nominativs und Akkusativs im Lateinischen, Lpzg.-Berlin 1908, p. 159.

c. IV adn. [1]) 4, 15, 22. Quint. 9, 2, 27.

[2]) Straub 90. Volkm. 498. Groß 195. Monse D. 14. Gerb. II 2, 49.

definitionem allatam congruant. Neque tamen haec exclamationi attribuere dubito: 4, 6, 12 *hanc modestiam aequitatemque et altitudinem animi ubi nunc in uno inveneris*[3])! [5, 54, 6 *quod cum ita sit, quae — malum*[4])! — *ratio est* e. q. s.] 7, 26, 5 *dictu miserabile!* cf. 29, 2 *quanta rerum moles! quotiens in extrema periculorum ventum* e. q. s.! —

Nunc persequar ea, quae

V. Notatio, Descriptio[1])

demonstratio, illustratio, evidentia, sermocinatio, sub oculos subiectio, *ἠθοποιία, διατύπωσις, ὑποτύπωσις, χαρακτηρισμός, ἐνάργεια, λεπτολογία, ἔκφρασις* etc. nominantur. Atque non solum dictis, sed etiam factis et facie et toto habitu homines describuntur[2]). Kleutgen p. 83 hanc figuram ita definit, ut sit vitae ac morum alicuius ad vivum expressio. Ego quidem hanc figuram, cuius fines, ut iam ex multis nominibus concludere potes, artis vinculis non continentur, magis ad oratorem pertinere quam ad scriptorem rerum a populo Romano gestarum puto, qui iam tota generis scribendi ratione cogitur, ut ea figura utatur. Qua re permotus hanc materiam obiter tractare in animum induxi et nonnullos locos, quibus notationis figura statui potest, afferam: 1, 25, 4 *ut primo statim concursu concrepuere arma micantesque fulsere gladii, horror ingens spectantes perstrinxit.* 3, 27, 6 sq. *in utroque agmine, quas tempus ipsum poscebat adhortationes, erant: adderent gradum, maturato opus esse, ut noctem ad hostem perveniri posset. consulem exercitumque Romanum obsideri* e. q. s. 5, 42, 4 *quocunque clamor*

[3]) Rectius fortasse interrogationi rhetoricae attribuitur.

[4]) cf. C. Martha, Rev. de philol. 3 (1879), p. 19, quo libro non usus sum.

c. V adn. [1]) Straub 91. Volkm. 442. Groß 225. Gerb. II 2, 65. Monse D. 22. Ab aliis afferuntur, quibus non usus sum, Adelung, Über den deutschen Styl, Bln. 1785, I, 43. Becker, Der deutsche Styl, p. 551; qui liber non confundendus est cum edit. minore Lehrbuch des deutschen Stiles von K. Ferd. Becker ed. Th. Becker, Frankf. a. M. 1850.

[2]) Straub 92; cf. auct. ad Heren. 4, 49, 63. Egregie de arte Livi mores hominum describendi egit, sed hanc doctrinam figurarum non attigit: Ivo Bruns, Die Persönlichkeit in der Geschichtsschreibung der Alten, Bln. 1898.

hostium, mulierum puerorumque ploratus, sonitus flammae et fragor ruentium tectorum avertisset e. q. s. 8, 28, 3 *primo perlicere adulescentem sermone incesto est conatus; dein —; postremo —* (nisi hoc gradationi, de qua infra agetur, attribuis); cf. 7, 36, 7. 9, 3, 1. 41, 3, 1. 42, 49, 4. Nonnunquam fit, ut haec figura secerni non possit a polysyndeto (c. XXV), cf. 9,5, 8. 10,41, 3[3]).

Nunc quoniam hanc figuram absolvimus, agamus

VI. De interrogatione rhetorica[1]).

Quint. 9,2, 27 eas tantum interrogationes figuratas habet, ad quas, qui interrogat, reponsum iri non exspectat, sed quae ad exornandam

---

[3]) Notationi nonnulli interque eos Straubius infinitivum historicum vel descriptivum, qui dicitur, quin etiam totum praesens historicum adiciunt: quas formas frequentissimas apud Livium esse omnes, qui nonnullas tantum historiarum paginas percurrerunt, intellegent. Quae a figuris esse removenda puto; nihilo setius nonnullorum, qui de his scripserunt, libros afferam: Kühnast 219 et 245. Draeger, Hist. Synt. d. lat. Sprache, Lpzg. 1878 -81. I², 205 et 302. F. Dreßler, Konstruktionswechsel und Inconcinnität bei den römischen Historikern, progr. Wien 1897, p. 13. Mohr, Über den historischen Infinitiv, Meiningen 1822. M. Schmidt, Über den Infinitiv, Ratibor 1826, p. 64. Chr. Fr. Prahm, Über das Wesen des historischen Infinitivs, Altona 1827. H. L. O. Müller, De usu atque natura infinitivi historici apud Latinos commentatio grammatica, Celle 1833. R. Mende, De infinitivo historico apud scriptores Latinos I, progr. Brigae 1845. F. C. Spieß, Disputatio grammatica de infinitivo historico etc., progr. Wiesbaden 1847. Grysar, Ztschr. f. öster. Gymn. IV (1853), p. 769. F. G. Dahlecke, De usu infinitivi Horatiano part. I, diss. Vrat. 1854, p. 16. Reusch, Zur Lehre von der Tempusfolge, progr. Elbing 1861. Holtze, Syntaxis priscorum Latinorum, Lips. 1862, II, 29; cf. Golenski, De infinitivo apud poetas Latinos usu, diss. Regimont. 1874, p. 52. J. Jolly, Geschichte des Infinitivs im Indo-Germanischen, München 1873, p. 180. Schmidt, De temporum historicorum apud Livium usu, progr. Demmin 1874. G. Mohr, De infinitivo historico, diss. Halis Sax. 1878, qui Livium satis frequenter respicit. H. Krause, De Vergilii usurpatione infinitivi, diss. Hal. Sax. 1879, p. 89. C. Hübenthal, Quaestiones de usu infinitivi historici apud Sallustium et Tacitum, diss. Halis Sax. 1881, cf. Ed. Wolff, Ph. Rdsch. I (1881), 703. Wackernagel, Über die Geschichte des historischen Infinitivs. Verhdlg. d. 39. Phil. Vers. zu Zürich 1887, Lpzg. 1888, p. 276. Jaenicke, N. Jahrb. 65 (1895), 134. Wölfflin, Arch. f. l. L. X (1898), 177. Wisén, Arch. f. l. L. XV (1908), 282. Skutsch, Glotta I (1909), 409. Kretschmer, Glotta II, (1910) 270. Ch. E. Bennet, Syntax of Early Latin I, Boston 1910, p. 419. Nonnullos alios libros invenies allatos ab E. Hübner,

fiunt, ut graviorem reddant orationem; earumque interrogationum duo internoscit genera, quorum altero interrogantur aut adversarii aut qui adsunt, altero orator se ipse rogat[2]). Straubius quidem de hac figura p. 94 haec dicit: *Id igitur sit fixum et statutum interrogationem, quatenus sibi vim et rationem figurarum asserat, in eis adhiberi, quae aut per se omnem omnino dubitationem excludant aut certe orator ita existimari velit. Verum si ad quaesitum iustum redditur responsum, ea non iam interrogatio esse rhetorica, quae proprie dicitur, videtur, sed talis dicendi formae vis figurandi, si quidem in figuras cadit, in eo posita est, quod quasi actio quaedam scenica et diverbium effingi videatur.* Sed divisiones supra allatae ad eas interrogationes pertinent, quae ab oratoribus orationibus inserantur, quo fit, ut ad vim huius figurae apud Livium describendam novum genus nobis adiciendum sit. Auctor enim ipse nonnullis locis interrogationes rhetoricas narrationi intermiscet, quibus tertium huius figurae genus efficitur. Atque primum haec genera exemplis illustremus, deinde ad usum Livianum describendum accedamus[3]).

1 a) Interrogantur adversarii: [1, 47, 5 *aut si ad haec parum est animi, quid frustraris civitatem? quid te ut regium iuvenem conspici sinis?* (haec Tullia in maritum, qui adversarii loco est, dicit). 3, 52, 6 *quod autem istud imperium est, decemviri, quod*

Grundriß zu Vorlesungen über die lateinische Grammatik, Bln. 1881, p. 84. Non usus sum libro conscripto ab Emery, The Historical Present in Early Latin, Ellsworth (Maine) 1897.

c. VI. adn. [1]) Straub 93. Volkm. 491. Gerb. II2,51. Groß 198. Monse D. 5. Blair 125. Ad nostram rem nullius fere momenti sunt: G. Müller, Über die sogenannten unwilligen u. mißbilligenden Fragen im Latein, progr. Görlitz 1875, qui obloquitur Krazio, Die sog. unwillige u. mißbilligende Frage etc., progr. Stuttg. 1862, cf. A. Grabenstein, De interrogationum enuntiativarum usu Horatiano, diss. Halis Sax. 1883. W. O. Gutsche, De interrogationibus obliquis apud Ciceronem observationes selectae, diss. Halis Sax 1885. W. Guthmann, Über eine Art unwilliger Fragen im Lateinischen, progr. Nürnberg 1891.

[2]) cf. auct. ad Heren. 4,15, 22. Cic. or. 137.

[3]) Cavendum videtur, ne veras interrogationes, quae nonnullis locis inveniuntur, cum rhetoricis confundamus; cf. 10, 18, 11. [40, 7, 5] simill. Non raro ab hac figura avelli non possunt aliae ut προκατάληψις etc., si in longiorem interrogationum rhetoricarum seriem insertae sunt.

amplexi tenetis? Non pudet lictorum vestrorum e. q. s. 45, 37, 9 *quid apud Quirites Romanos, Ser. Galba, diceres?*] etc.

b) Multo crebriores sunt interrogationes, quae ad eos qui audiunt convertuntur, in quibus saepius non satis certe discerni potest, an non rectius primo generi sint adiungendae; cuius generis haec exemple afferam: [1, 26, 10 *quem . . . victoria incedentem vidistis, Quirites, eum sub furca vinctum . . . videre potestis* e. q. s.]; ‖ 50, 4 *cui enim non apparere adfectare eum imperium in Latinos?* ‖. [40, 10, 10 *mihi praeter te, pater, quid . . . praesidii est?*] rell.

2) Exempla, quibus orator se ipse rogat, rariora sunt: ‖ 2, 32, 6 *quamdiu autem tranquillam . . . multitudinem fore? quid futurum deinde, si . . . bellum existat?* ‖. [3, 11, 13 *quamquam quid ego legem loquor?*]. Hoc genus et illud, quod supra commemoravi, coniunguntur in talibus: [41, 24, 8 *opportuni propinquitate ipsa Macedoniae sumus? an infirmissimi omnium . . .?* cf. ibd. 9; 10 etc.].

3) In narratione a scriptore ipso nonnunquam interrogatio rhetorica ponitur: 1, 3, 2 *quis enim rem tam veterem pro certo adfirmet?* 18, 3 *ex quibus locis . . quae fama in Sabinos? aut quo linguae commercio quemquam ad cupiditatem discendi excivisset* e. q. s., simill. In decadis V libris hic usus exstare non videtur.

Quae generum distributio minoris esse momenti videtur; id est quaerendum, Livius sitne iusto aptoque loco usus interrogationibus rhetoricis, atque utrum singillatim huius generis figuras posuerit an eas cumulaverit. Atque Livium hanc figuram in nostris libris uberrime (ca. CCXX) et aptissime ad orationes excolendas adhibuisse, nemo est qui neget. Interrogatio unius membri frequentior est ceteris, paulo dimidio minor est numerus interrogationum duorum membrorum. Multo rariora sunt exempla trium (ca. XX), quattuor (ca. XV), quinque (VII), sex (III) membrorum; duo exempla exstant octo, singula decem et undecim membrorum; cf. [3, 52, 6]. ‖ 6, 17, 3 ‖. [45, 39, 4]. [40, 14, 10 sqq. *cur non omnes ferrum habuimus? cur nemo praeter eos, qui . . pulsaverunt? si clam, quis ordo consilii fuit? convivio soluto . . . quattuor substitissent, ut sopitum te adgrederentur? quomodo fefellissent . . . , quia paulo ante in rixa fuerant? quomodo autem trucidato te ipsi evasuri fuerant? quattuor gladiis domus . . . expugnari potuit? quin*

tu emissa ista nocturna fabula ad id, quod doles, . . reverteris? „cur usquam regni tui mentio fit, Demetri? cur . . .? cur . . .?“].

Inter singulos libros differentias quasdam esse non mirabimur, cum haec figura nisi in orationibus fere non inveniatur, quae secundum occasionem, quam res describenda praebet, hic crebrius hic rarius intextae sunt. In primis libris (I—II) interrogationem rhetoricam satis raro esse adhibitam ex natura librorum facile intellegi potest; idemque de libris XLI—XLIV statuendum est, qui, imprimis lib. XLIII, pauca tantum exempla exhibent. Quocum convenit quod duobus singularibus exemplis exceptis loci, quibus interrogationes plurium membrorum quam duorum inveniantur, multo rariores sunt in illa quam in dec. I; videtur igitur Livius in priore parte operis sui huic figurae magis indulsisse quam in posteriore. In omnibus autem libris, exceptis VII et X, in quibus numeri paene pares sunt, exempla in directis orationibus multo crebriora quam in obliquis sunt.

Straubius p. 97 interrogationi rhetoricae, postquam multa de hac re verba fecit,

VII. *Διαλεκτικόν*[1])

subiungit, quod a Tiberio (Sp. III, 67) sic describitur: *δ. ἐστιν ὃ μάλιστα ποιεῖ Δημοσθένης ὅταν μὴ ἁπλῶς διεξίῃ τὸν λόγον, ἀλλὰ πρὸς πεῦσιν καὶ ἀπόκρισιν συλλογίζηται ἃ βούλεται.* Huius figurae in libris, quos tractandos nobis proposuimus, levissimum tantum exstat exemplum: [6, 40, 9 *sed quae tandem ista merces est, qua vos semper tribunos plebis habeamus? „ut rogationes, inquit, nostras . . . accipiatis“*; cf. ibd. 10]. Quibus non dissimile videtur hoc, quod sustentationi subiungere malim: [3, 67, 7 *pro deum fidem quid vultis? tribunos plebis concupistis: concordiae causa concessimus. decemviros desiderastis: creari passi sumus*, c. q. s.]. In dec. V nullum similem locum inveni.

Qua figura absoluta[2]) percurramus

---

c. VII. adn. [1]) Straub 97. Volkm. 492. Groß 200. Monse D. 6.

[2]) Communicationem, qua is, *qui dicit, se cum eis qui audiunt, nonnunquam etiam cum adversario deliberantem fingit* (Quint. 9, 2, 20), omisi, quod nullum exemplum in nostris libris exstat, cf. Straub 98. Volkm. 497. Monse D. 11. Gerb. II 2, 55.

VIII. Dubitationem[1])

qua *quaerere videtur orator, utrum de duobus potius aut quid de pluribus dicat*[2]), idemque simulat se quaerere, *unde sit incipiendum, ubi desinendum, quid potissimum dicendum an omnino dicendum sit*[3]). Huc fortasse trahi potest: 6, 12, 3 *quod cum ab antiquis tacitum praetermissumque sit, cuius tandem ego rei praeter opinionem, quae sua cuique coniectanti esse potest, auctor sim?* cf. 9, 17. 7.

Dubitationis simillima est

IX. Praeteritio[1]),

quae a Graecis *παράλειψις* vel *παρασιώπησις* vel *ἀντίφρασις*, ab auct. ad Heren.[2]) occultatio (quae est ut mihi quidem videtur non necessaria coniectura Spaldingii, codices habent *occupatio*) vocatur et sic describitur: *O. est, cum dicimus nos praeterire aut nolle dicere, quod nunc maxime dicimus.* Vis huius figurae eo contineri videtur, quod exspectatio eorum, qui audiunt, vehementer intenditur; praeterea hoc usu res non paululum augetur. Formae quaedam praeteritionis facillime cum interrogatione rhetorica, dubitatione etc. confundi possunt, ut hic locus docet: 4, 3, 12 *quid de T. Tatio Sabino dicam, quem* e. q. s., cf. Weißenborn ad 5, 5, 6.

Qui exempla desiderat, eum revoco primum ad ea, quae satis sunt trita: [5, 5, 6 *quid turres, quid vineas testudinesque et alium oppugnandarum urbium apparatum loquar?* cf. 52. 7. [9, 34, 14. *quid ego antiqua repetam?* cf. 10, 10, 8]. Sequuntur exempla ut: [5, 54, 5 *ne singulas loquar urbes.* 6, 7, 4 *ut . . . legiones caesas taceam*]; cf. ‖ 45, 19, 16 ‖. [6, 41, 3 *omitto Licinium Sextiumque*; cf. 9, 9, 6]; 17, 6 *ut alios reges omittam*; ibd. 14 *ne singulos nominem.* [40, 5, 12 *proditorem nolo dicere, certe speculatorem habemus in sinu*; cf. 27, 11. 45, 23, 7 *hic iam non, quod factum est, defensurus sum, sed publicam causam a privatorum culpa segrega-*

c. VIII. adn. [1]) Straub 99. Volkm. 496. Groß 197. Dzial. 24. Monse D. 10. Gerb. II 2, 59.

[2]) auct. ad Heren. 4, 29, 40.

[3]) Quint. 9, 2, 19; cf. 61.

c. IX. adn. [1]) Straub 101. Volkm. 501. Groß 202. Monse D. 34. Mor. Seyffert, Scholae Latinae [4], 1878 Lpzg., I, 86. Gerb. II 2, 38. cf. Aquila H. 24.

[2]) 4, 27, 37; cf. Spalding ad Quint. 9, 3, 98.

turus]. Aliter haec exempla formantur: [5, 4, 1 *quam hoc consilium necessarium fuerit, postea disseram*; 44, 3 *nec enim exprobranda beneficia apud memores sunt.* 8, 32, 5 *sed quid ego haec interrogo, cum, si ego tacitus abissem, ad voluntatis interpretationem meae dirigenda tua sententia fuerit* (si haec praeteritio est); cf. 9, 26, 15]. — Praeteritio haud rhetorice usurpata legitur 45, 25, 3 *non inseram simulacrum viri copiosi, quae dixerit referendo; ipsius oratio scripta exstat* e. q. s.

Quibus ex exemplis facile cognoscitur hanc figuram semper fere esse levem atque in prioribus libris decadis I omnino non legi.

Transeamus ad aliam figuram, quae

X. Sustentatio[1])

sive inopinatum sive *ὑπομονή* appellata sic declaratur: *hoc schema suspendit sensum, deinde subicit aliquid eo contra exspectationem auditoris sive maius sive minus*[2]). Neque plurimi Graecorum rhetorum neque Cicero neque auct. ad Heren. huius figurae mentionem fecerunt. Rara exempla sunt: [8, 4, 7 *quis dubitat exarsisse eos, cum . . solveremus? Pertulerunt tamen hunc dolorem*]; illud quoque huc trahi potest exemplum supra in *διαλεκτικῷ* allatum [3, 67, 6]; non dissimile est 9, 19, 9 *uno proelio victus Alexander bello victus esset.* — Sed haec omnia sunt, quae huc cadere videntur, qua re nunc ad eam figuram accedam[3]), quae ab auct. ad Heren. 4, 30, 31

XI. Praecisio[1]),

a Quint. 9, 3, 58 synecdocha, a Graecis *ἀποσιώπησις* nominatur, *in qua nimirum, quod sermonis integritati deest, aliunde petendum sit; vel affectu aliquo vel transitus causa ad aliud, quod magis ur-*

---

c. X. adn. [1]) Straub 100. Gerb. II 2, 56. Volkm. 497. Monse D. 12.

[2]) Iul. Rufin. H. 46.

[3]) Permissionem, quae secundum Quint. 9, 2, 25 *est, cum aliqua ipsis iudicibus relinquimus aestimanda, alia nonnunquam adversariis quoque*, omisi, cum exempla apud Livium non inveniantur; cf. Straub 100; Volkm. 98 et 495; Gerb. II 2, 93; Monse D. 12; Groß 203.

c. XI. adn. [1]) Straub 101. Monse D. 36, qui hanc figuram non satis a praeteritione discrevisse videtur. Volkm. 503. Groß 173. Gerb. II 2, 38.

quet, aliquid praetermissum est[2]). Quibus adiungam recentioris viri d. definitionem[3]): *Aposiopeseos igitur id est proprium, ut orationem ita interrumpat, ut tacita aut plane incerta aut certe longiore sermone explicanda sint (i. e. quia ceteris verbis positis non satis indicantur); ubi autem verbum vel verba subtracta primo quasi aspectu ex toto rerum verborumque nexu subintelleguntur, quia nihil aliud intellegi potest, non est aposiopesis, sed synecdoches quoddam genus, sc. ellipsis.*

Haec figura, quae rarissima est, exstat: [7, 30, 23 *alterum responsum salutem victoriam, lucem ac libertatem, alterum — ominari horreo, quae ferat*], cui exemplo adiungere dubito [45, 38, 5 *nec L. Paulum minorem aut maiorem imperatorem triumphus faciet —, militum magis in hoc universique populi Romani fama agitur, primum ne* e. q. s.].

Quibus leviter perstrictis sequitur, ut

XII. De correctione[1])

esse agendum videatur, quam Quint. 9, 2, 60 nominat paenitentiam dicti; ab aliis *μετάνοια* vel *ἐπιδιόρθωσις* vel *ὑπαλλαγή* vel *ἐπιτίμησις* appellatur[2]). Hoc schema fieri solet, cum ipse se qui loquitur reprehendit et id, quod prius dixit, posteriore sententia commutat; quae figura saepius ad transitiones adhibetur. Straubius affert, quamquam ea satis appellat communia, exempla, quae formulis conficiantur „atque adeo, sive adeo, ac potius, aut potius" simill. Quae probare non possum, nam si hoc modo definiamus, exsistat qui 3, 47, 4 *vis amentiae verius quam amoris*, cf. [5, 25, 5]. 41, 18, 3 simill. correctiones esse affirmet. Ubi autem est, qui eiusmodi exempla habere vim rhetoricam vel esse omnino correctiones concedat? Nemo certe. Quare commotus ego quidem talia non collegi, sed haec afferam: || 1, 50, 5 *quod si sui bene credide-*

---

[2]) Thomae Linacri De emendata structura Latini sermonis libri VI. Lips. 1556, p. 433.

[3]) G. Clemm, De breviloquentiae Taciteae quibusdam generibus, Lips. 1881, p. 12.

c. XII. adn. [1]) Straub 104. Volkm. 496. Gerb. II 2, 57. Monse D. 37. Dzial. 25. Groß 201.

[2]) Rut. H. 10. Herod. Sp. III, 95. Alex. Num. Sp. III, 40.

rint cives, aut si creditum illud et non raptur parricidio sit, credere et Latinos debere ||. [2, 38, 5 . . . *quod maturarimus proficisci? . . . si hoc profectio et non fuga est.* 40, 12, 16 *probitate partam gratiam habeo, si quam forte habeo*]. Aliter efficiuntur haec: [8, 32, 5 *sed quid ego haec interrogo, cum* e. q. s. 9, 11, 3 *sed quid ego te appello, qui te captum victori cum qua potes fide restituis? populum Romanum appello*].

Sed quoniam in correctionis explicatione satis copiosus fuisse mihi videor, agamus

XIII. De sententia[1])

ipsa, quae proprie dicitur. Quae a Volkmanno Quintilianum sequente tropis attribuitur, qui auctorem ad Heren. (4, 17, 20), quod sententiam figuris adnumeret, vituperat et sic eam describit: *s. est oratio sumpta de vita, quae aut quid sit aut quod esse oporteat in vita breviter ostendit.* A Graecis *γνώμη* nominatur. Straubius figuris sententiam abiudicat, sed quod 'exemplo', de quo supra disputavimus, quodam modo contraria sit, hoc loco affert. Livius[2]) has sententias exhibet: 1, 46, 7 *malum malo aptissimum*, cf. adn. Müll.; 58, 9 *mentem peccare non corpus et unde consilium afuerit, culpam abesse.* 2, 30, 2 *factione, respectuque rerum privatarum, quae semper offecere officientque publicis consiliis, Appius vicit*; 47, 11 *adeo spreta in tempore gloria interdum cumulatior redit**. || 3, 40,4 *ex magno certamine magnas exciteri iras* ||; 65, 11 *cavendoque ne metuant, homines metuendos ultro se efficiunt et iniuriam ab nobis repulsam, tamquam aut facere aut pati necesse sit, iniungimus aliis*; [68, 10 *natura hoc ita comparatum est, ut qui apud multitudinem sua causa loquitur, gratior eo sit, cuius mens nihil praeter publicum commodum videt*]. 4, 9, 3 *(factiones) fuerunt eruntque pluribus populis*

---

c. XIII. adn. [1]) Straub 106. Volkm. 459. Gerb. II 2,33. Otto, Sprichwörter der Römer, Lpzg. 1890: hunc librum ubi te conferre volo, asterisco locos significavi. Moczynski 12; cf. Prantl, Die Philosophie in den Sprichwörtern, München 1858. G. Rosenthal, De sententiis Horatianis, Berol. 1897, 1 sqq. Huc fortasse trahi potest Nic. Kragius, Sententiose a Livio dict. coll., Havn. 1582 (Fabric. Bibl. Lat. T. I, 196.), quo libro non usus sum.

[2]) cf. Parreidt, Ioh. Henr., De lactea Livii ubertate, Lips. 1746, p. 19: *nec tamen coacervavit easdem (sc. sententias) quippe quod fastidium et contemptum excitavisset, sed iis commodissimo loco impositis tamquam luminibus orationem distinxit.*

exitio quam bella externa; ‖ 35, 7 *eo impendi laborem et periculum, unde emolumentum atque honos speretur. nihil non adgressuros homines, si magna conatis magna praemia proponantur* ‖; 37,7 *ergo fortuna*, ut saepe alias, virtutem est secuta.* [5, 4, 4 *nusquam nec opera sine emolumento nec emolumentum ferme sine impensa opera est. labor voluptasque, dissimilia natura, societate quadam inter se naturali sunt iuncta*]; 19, 8 *omnia ibi summa ratione consilioque acta fortuna* etiam, ut fit, secuta*; 28, 4 *multitudinem, quae semper ferme regenti est similis.* [6, 18, 7 *ostendite modo bellum*, pacem habebitis*][3]; ‖ 23, 4 *cum corporibus vigere et deflorescere animos* ‖; 34, 7 *a proximis quisque minime anteiri vult.* 8, 24, 4 *ut ferme fugiendo in media fata ruitur*; 29, 5 *eventus docuit fortes fortunam* iuvare*; ‖ 31, 7 *invidiam* tamquam ignem summa petere* ‖. [9, 4, 16 *pareatur necessitati, quam ne di quidem superant.* 40, 46, 12 *in proverbium venit: amicitias* immortales, mortales inimicitias debere esse*]. 42, 30, 1 *plebs indulgens ubique omnis ferme, ut solet, deterioribus.* 44, 4, 8 *audacter commissum pertinaci audacia, quae prudens interdum in exitu est, corrigere*; ‖ 15,4 *plerumque ipsam se fraudem, etiam si initio cautior fuerit, detegere* ‖; 41,4 *nam sicut pleraque nova commenta mortalium in verbis vim habent, experiendo, cum agi, non quem ad modum agatur, edisseri oportet, sine ullo effectu evanescunt, ita tum* e. q. s. [45, 8, 6 *ideo in secundis rebus nihil in quemquam superbe ac violenter consulere decet, nec praesenti credere fortunae, cum quid vesper* ferat, incertum sit*; 23, 8 *nulla est civitas, quae non et improbos cives aliquando et imperitam multitudinem semper habeat*; ibd. 14 *tam civitatium quam singulorum hominum mores sunt*]; 35, 5 *intacta invidia* media sunt, ad summa ferme tendit.*

Tales sententiae sunt, quae apud Liv. inveniuntur; in duas autem classes exempla dividi possunt, quarum altera comprehendit ea, quae ad vitam cottidianam et naturam humanam pertinent, altera quae dicuntur de rebus civilibus et publicis atque satis ex his apparet Livium non cum imperita illa multitudine (45, 23, 8) quae indulget magis deterioribus rebus quam melioribus (42, 1, 30), sensisse. De formis, quibus sententiae proferuntur, dicendum est varietatem magnam non inveniri, sed brevibus enuntiatis plerum-

[3]) cf. Woefflin, Krieg und Frieden im Sprichwort der Römer (Sitzungsber. d. k. b. Ak. 1888, phil.-hist. Kl. I, 197.)

que ea, quae huc pertinent, contineri. Natura ipsa sententiae fit, ut temporum saepissime adhibeatur praesens, rarius perfectum; bis coniunguntur futurum et perfectum, semel imperativus et futurum. Quod de hac re uberius egi, spero me veniam esse impetraturum, cum materia ferat, ut in hac re libenter longius consistamus, neque minus ex his exemplis, quae bene apta sunt, ut alliciant hominum animos, qui fuerit Livi sensus de vita concludi quodam modo possit. Inter orationes et narrationem, quod ad sententiae usum attinet, differentiae exstare non videntur.

Ad describendas verborum figuras priusquam accedam, liceat ea breviter afferre, quae rhetores praeterea ad sententiarum figuras trahi volunt.

XIV. Προδιόρθωσις[1])

est mitigatio, quae, si subsequitur, ἐπιδιόρθωσις appellatur. Huc trahas, si voles, illa exempla, quae exstant: [3, 19, 7 *C. Claudi pace et P. Valerii mortui loquor.* 10, 7, 12 *pace dixerim deum*]. Aliter formantur: 5, 33, 1 *expulso cive, quo manente, si quicquam humanorum certi est, capi Roma non potuerat.* 9, 18, 2 (si talia sunt afferenda) *qui si ex habitu novae fortunae novique, ut ita dicam, ingenii, quod sibi victor induerat, spectetur.* Nescio utrum huic capiti an praeteritioni rectius attribuatur: [42, 40, 5 *ut caede, ne quid ultra dicam, te laetatum appareret*].

XV. Παρρησία[1])

est dicendi libertas, quae a quibusdam figuris attribuitur[2]), cuius exempla invenies: [5, 54, 3 *equidem fatebor vobis, etsi minus iniuriae vestrae quam meae calamitatis meminisse iuvat.* 41, 23, 13 *immo si vere volumus dicere*]. Quodam modo huc trahendum videtur, quod Campani his verbis miseriam condicionis suae fatentur: [7, 30, 6 *Campani, etsi fortuna praesens magnifice loqui prohibet* e. q. s.].

---

c. XIV. adn. [1]) Straub 107. Volkm. 494; cf. Herod. Sp. III, 95. Monse D. 9. Gerber II 2, 57 adnot.

c. XV. adn. [1]) Straub 107. Volkm. 499. Gerb. II 2, 94.

[2]) Rut. H. 20. auct. ad Heren. 4, 36, 48, qui eam licentiam nominat, cf. adn. Kayseri. Cic. or. 138. Quint. 9, 2, 28: *frequenter sub hac facie latet adulatio.*

XVI. Πρό(-κατά-)ληψις[1])

sive occupatio *est, cum id quod in adversarii causa aut in iudicis opinione esse aut fore arbitramur, contrarium nobis, praeoccupamus dicere et cum ratione dissolvere*[2]).

Leges huius figurae exempla, quae nonnunquam levissima sunt: [3, 19, 11 *at enim divinis humanisque obruti sceleribus legem vos hoc anno perlaturos dictitastis*; cf. 4, 4, 1. 5, 53, 1; cf. ea quae Weißenb. p. 281 de hoc loco legendo protulit. 6, 15. 11]. Similia sunt: [5, 52, 10 *at etiam, tamquam veterum religionum memores et peregrinos* e. q. s. 6, 40, 15 *at hercule*; cf. 44, 39, 1. 9, 4, 15 *at*: cf. 40, 10, 7. Aliter formantur: [5, 52, 5 *forsitan aliquis dicat*]. ‖ 6, 37, 8 *nec iam posse dici* e. q. s. ‖. [9, 4, 12 *tecta urbis, dicat aliquis*, e. q. s.; 34, 8 *an hoc dicis, Appi, non teneri Aemilia lege populum?* 44, 39, 6 *his difficultatibus et impedimentis pugnae illud opponitur: quid si hostis* e. q. s. 45, 23, 7 *quid igitur? nihilne factum neque dictum est in civitate vestra, Rhodii* e. q. s.].

De sententiarum figuris hactenus. Quas si percurrerimus, facile statuere poterimus eas imprimis in orationibus inveniri, quod, si naturam figurarum respicimus, mirari non possumus. In primi libri orationibus hae figurae fere omnino non inveniuntur, cuius rei causa ex eo est repetenda, quod orationes eius libri minores et leviores sunt, quam quae idoneae sint ad sententiarum figuras excolendas; in insequentibus libris, quamquam numerus figurarum maior est, artificiosiores figurae desunt, sed in libro V sqq. exstant exempla. Inter libros decadis V differentias quasdam exstare me non fugit, quae materia esse effectae videntur, maximeque liber XLIII his orationis ornamentis plane fere caret. Quae cum ita sint, difficile est verba facere de universo et primae et quintae decadis colore faciliusque erat pauca ad singula capita adnotare. Sed iam videamus rectiusne possimus iudicare, ubi verborum figuras, de quibus nunc agetur, absolverimus.

c. XVI. adn. [1]) Straub 108. Monse D. 8. Volkm. 494.
[2]) Rut. Lup. II, 14. Quint. 9, 3, 16: praesumptio.

Figurae verborum[1]),

ad quas nunc te revoco, multo crebrius inveniuntur, quam sententiarum figurae neque raro propter multitudinem difficile est certum iudicium de eis ferre, quod facile ex singulis capitibus cognosces. *Sunt autem hae figurae eae exornationes orationis, quae salva sententia artificioso quodam et a communi consuetudine remoto dicendi modo conformantur*[2]). De earum vi cf. Quint. 9, 3, 3; Cic. or. 134; singula ad singulas adnotabimus figuras. Atque ut ordiamur a simplicioribus, initium ab eis huius generis figuris capiamus, quae formantur repetitione aut adiectione quorundam verborum[3]), quarum prima est

XVII. Anaphora[1]).

§ 1. Haec est ea figura huius capitis, quam vix quisquam dicat oratorem vel historicum casu adhibuisse, quod in ceteris

---

(c. XVII.) adn. [1]) Straub 109. Volkm. 465. Groß 136. Dzial. 3. Chaignet 467. Schultz, Sprachl. 593; cf. Köne, Über die Wortstellung der lateinischen Sprache, Münster 1831. Raspe, Die Wortstellung der lateinischen Sprache. Lpzg. 1844. Wocher, Die lateinische Wortstellung, Ehingen 1849. F. Back, Über den lateinischen Satzton und sein Verhältnis zum deutschen Satzton, progr. Birkenfeld 1885. A. Reckzey, Über grammatische und rhetorische Stellung des Adjektivums. Bln. 1888. Nonnullos alios, qui de eadem materia scripserunt, invenies in Hübneri libro Grundriß, quem supra attuli. — Non usus sum libris, qui huc esse trahendi videntur: Jos. Gantrelle, Étude litteraire sur la disposition des mots dans la phrase latine, Bruxelles 1883. P. Dettweiler, Symbolae ad collocationem verborum, Gießen 1885. Lindskog, Beiträge zur Geschichte der Satzstellung im Lateinischen, Lund 1897.

[2]) G. Hermann, opusc. acad. I, 105.

[3]) cf. Paldamus, De repetitione vocum in sermone Graeco et Latino, Gryphisw., 1836, qui liber minimi pretii videtur.

[1]) Straub 110. Volkm. 467. Groß 154. Dzial. 8. Gerb. II 1, 195. Wölfflin, Liv. Krit. 20. Draeger, Hist. Synt. II, 207. Kühnast 327. H. Löwe, De nonnullis figuris, quibus poetae Latini utuntur, progr. Grimmae 1863, p. 8. W. Kriebel, Der Periodenbau bei Cicero und Livius, diss. Rostock 1873, qui liber non dignus est qui legatur, cf. H. J. Müller, Ztschr. f. d. G. W. 29 (1875) Jahresber. d. Berl. phil. Vereins p. 105. Birt, De Halieuticis, Berol. 1878, p. 59. P. Petzke, Dicendi genus Tacitinum quatenus differat a Liviano, diss. Regimont. 1881, p. 49. Kraffert, Ztschr. f. d. G. W. 1887, p. 725. Draeger, Syntax und Stil des Tacitus[3], Lpzg. 1882, § 240. Abbot, Studies

nonnunquam fit. Multis enim in figuris viri docti dissentiunt alius ab alio, utrum sit elocutio vere figurata an neglegenter vitiosa, si idem verbum saepius repetitur, et necesse erit Livium nonnunquam defendere ab illis, qui scriptorem nostrum hic illic vituperant. Anaphora igitur, ne quid ex posteriore loco praeoccupemus, est cum ab iisdem verbis enuntiata vel partes unius enuntiati acriter et instanter incipiunt et non raro accidit, ut exemplum et anaphorae et conduplicationis, de qua infra agetur, videatur esse. A Latinis anaphora iteratio [5]) vel repetitio [6]) nominatur.

Distingui videntur tria huius figurae genera, quorum primum fit praepositione vel coniunctione, alterum nomine sive pronomine sive adiectivo, cui adiungas sis adverbium, tertium verbo repetito. Manifestum est primum genus levissima vi, nomen pondere maiore repeti, summo verbum.

Anaphorae simillimus hic est usus, qui cum insigniora exempla apud Liv. raro inveniantur, saepius exstat apud Ciceronem, cf. Verr. II, 1, 12 *emerserit* ..., *meditetur* ..., *videat* ..., *quaerat* ..., *meminerit* ..., *fateatur* ... Talia autem exempla quamquam ad anaphoram quadamtenus accedunt, non collegi, cum nemo fere recentiorum hunc usum anaphorae subiecerit [7]).

---

in Classical Philology of the University of Chicago III (1900), p. 98: The Use of Repetition in Latin to Secure Emphasis, Intensity and Distinctness of Impression. R. B. Steele, Anaphora and Chiasmus in Livy (Transact. of Am. Ph. Assoc. 1901), quam dissertationem in manibus non habui. L. Otto, 'De anaphora. In exemplum adhibita sunt carmina Vergili et Ovidi', diss. Marpurgi 1907, qui accuratissime de hac re disquisivit. R. Wöbbeking, De anaphorae apud poetas latinos usu, diss. Marpurgi 1910. — Ad vocabuli „sed" anaphoram, quae satis esse rara videtur, cf. Chr. W. Fittbogen, Observationes Livianae, Frcft. ad Viadr. 1842, p. 13 et 51.

[5]) Iul. Ruf. H. 49.

[6]) auct. ad Heren. 4, 13, 19. Cic. de or. III, 206.

[7]) Eadem fere dicit, quamquam non utitur nomine anaphorae, H. Weil, De l'ordre des mots dans les langues anciennes comparées aux langues modernes, Paris 1869, p. 88; cf. Nägelsbach, Stilistik [7], p. 538 sqq., quem vituperat Ian, Blätter f. bayr. G. W. III (1867), 272. Petzke hoc schema p. 50 „Parallelstellung" quidem nominat, sed anaphorae ipsi abiudicat et veterem notionem contra alios tuetur. Fatendum mihi est me liberius de hac re sentire, nam intellegere non possum, cur veterum definitiones nunquam corrigamus, praesertim cum quid clarius esse possit, quam quod hac vocabulorum collocatione pondus ac vis anaphorae simillimum efficiatur, quod vix aures alicuius, qui clara

Sed tota vis anaphorae simplicior est, quam quae multa verba ad rem exponendam exigat, qua re ea exempla tantum afferam, quae esse insigniora videntur. Nonnunquam enim vocabulum aliquod quater vel saepius repetitur et aliis cum figuris, de quibus infra agetur, coniungitur; adhibentur autem hoc modo homoeoteleuton, paronomasia, polyptoton, allitteratio, chiasmus etc. Saepius anaphoram, quae satis multum gravitatis atque impetus efficiat, in interrogatione rhetorica inveniri, si ea, quae de vi ac natura eius superiore loco diximus, computemus, quis est qui miretur? Neque magis mirum videbitur hac cum figura plerumque asyndeton coniungi, cum particulis interpositis vis anaphorae haud mediocriter minuatur[8]). In prioribus libris insigniora exempla fere omnino desunt, sed in lib. IV sqq., in quibus orationibus insertis tota narratio magis commovetur et excitatur, exempla artificiosiora inveniuntur.

Sunt autem haec eiusmodi:

§ 2. Ex quattuor membris constat anaphora: [4, 4, 11[9]) *ne . . . sit, ne . . . eat, ne . . . ineat*[10]), *ne . . . consistat.* 6, 41, 2

---

voce eiusmodi exempla legerit, fugere potuerit? — Rei illustrandae causa nonnulla exempla Liviana afferam: ‖ 4, 40, 5 *proditam* — , *proditum* —, *traditos* —, *deserta* —. 5, 11, 3 *eripi sacratas leges, extorqueri tribuniciam potestatem*; ibd. 8 *nunc proditum exercitum, tradita castra.* 8, 11, 7 *trucidatum* —, *caesos* —; 31, 2 *venire* —; *furere* —; *malle* — ‖. [42, 13, 3 *cernebam* —, *cernebam* —, *videbam* —; cf. 6, 15, 9. 9, 8, 6]. Insignius videtur hoc, quod cum chiasmo coniungitur: [42, 34, 11 *quater* —, *quater et tricies* –, *sex* —, *viginti duo stipendia annua . . . habeo et maior annis sum quinquaginta*].

[8]) Contra fit, ut anaphora ipsa coniunctionem duorum vel plurium verborum efficiat: [9, 9, 12 *cum senatu, cum populo de pace agere*]. ‖ 10, 24, 14 *cum periculum, cum dimicatio proposita sit* ‖ ; cf. Otto 42 et 83: *a. in locum coniunctionum succedit et scriptori harum particularum gratiam facit.* R. M. Meyer, Deutsche Stilistik, München 1906, p. 92: Die A. ist ein uraltes Bindemittel besonders auch der altgermanischen Dichtung.

[9]) Eas tantum §§ citabo, in quibus exempla incipiantur, etsi per plures ducantur. Ut ars rhetorica, quae in eiusmodi exemplis adhibita est, magis explanetur, tropos et figg., quae in eis statui possunt, adnotationibus adiectis significavi. Non multum abest quin, ne exemplis nimium multis afferendis sim molestus, verear; neque tamen id praetermittendum erat, cum tota haec quaestio satis sit idonea, quae viam muniat atque instruat ad insequentes difficiliores figuras.

[10]) Paronomasia.

qui . . . fastidiat, qui . . . censeat, qui se arbitrio vestro[11]) *eximat, qui vestra*[12])[13]) *necessaria suffragia pro voluntariis*[14]) *et serva pro liberis*[14]) *faciat.* 7, 40, 6 *me compotem voti vos facere potestis, si meminisse vultis non vos in Samnio nec in Volscis, sed*[14]) *in Romano*[12]) *solo castra habere, si illos colles, quos cernitis, patriae vestrae*[11]) *esse, si hunc exercitum*[12]) *civium vestrorum, si me consulem vestrum, cuius ductu auspicioque*[15]) *priore anno bis . . . fudistis*[16]), *bis castra vi cepistis*; ibd. 8 *si cui*[17]) (quater legitur) . . . *potuerunt, iis*[11]) *eram natus, id . . . dederam, ea aetate consulatum adeptus eram*[13]). 8, 4, 3 *sin . . . desiderium remordet*[16]) *animos, si foedus sociale est*[18]), *si societas . . . est . . ., si socialis*[10]) *illis exercitus is est, quo* e. q. s.]; ‖ 32, 15 *satis castigatam adulescentiam*[12]) . . ., *satis deformatam*[16]) *victoriam; ne . . . tenderet*[16]) *neu* (ter legitur) . . . *iniungeret* ‖. 9, 17, 11 *ita reges*[11]) *gesserant bella, ita deinde exactores regum . . . ita deinceps*[10]) *Fabii Quinctii, Cornelii, ita Furius, Camillus, quem iuvenes ii, quibuscum Alexandro dimicandum erat, senem*[11]) *viderant*; 19, 15 *nunquam ab equite hoste, nunquam a pedite, nunquam aperta*[16]) *acie, nunquam aequis, utique nunquam nostris locis laboravimus*[19]). [41, 24. 17 *quid hoc . . . est? quid rem parvam et apertam*[16]) *magnam et suspectam facimus? quid . . . ciemus? quid ut . . . habeamus, suspectos*[11]) *alios invisosque*[15]) *efficimus*[10])?] cf. ‖ 1, 47, 10 ‖. 3, 72, 3 ‖.

---

[11]) Polyptoton.

[12]) Eiusmodi homoeotelenta in fine vocabulorum, quae sequuntur aliud aliud nullo intervallo interposito, non esse vitiosa neque semper neglegentia esse Livio elapsa posteriore loco firmabitur; cf. c. XXXVII adn. 13 etc.

[13]) Chiasmus. [14]) Contentio.

[15]) Synonymia. [16]) Metaphora.

[17]) Non dissimile est, levius tantum, 7, 1, 1 *annus hic erit insignis novi hominis consulatu, insignis novis duobus magistratibus,* quod conduplicationi melius attribuitur; cf. ‖ 4, 2, 5 ‖. 9, 18, 5; 22, 3. [10, 8, 9. 40, 10, 10; 15, 9]. ‖ 41, 7, 8. 42, 12, 1 ‖ etc. In extremo libro X (47, 3 et 4) initio duarum paragraphorum *eodem anno* legitur, quibus anaphora non efficitur.

[18]) Antistrophe.

[19]) Adnotandum videtur praeter hos duos locos et illum, qui § 3 affertur, nulla exempla insigniora simplici narratione contineri, sed ne hoc quidem dici potest: sumpta enim exempla sunt ex illo loco, quo Livius opes Romanorum cum Alexandri regno comparat, qui locus omnino multos alios venustate et splendore elocutionis superat.

‖ 4, 15, 3. 6, 23, 5 ‖. [8, 9, 6[20]). 9, 9, 16. 40, 9, 8; 27, 11. 41, 24, 4. 45, 37, 1; 38, 14].

§ 3. Quinquies idem revertitur verbum: [9, 1, 7 *quid ultra tibi, Romane*[21]), *quid*[11]) *foederi*[11]), *quid dis arbitris foederis debeo? quem tibi tuarum irarum*[12]), *quem meorum suppliciorum*[12]) *iudicem feram?* ibd. 9 *iras suas vertant in eos, quibus*[11]) *non suae redditae res, non alienae adcumulatae satis sint; quorum*[12]) *saevitiam non mors noxiorum, non deditio*[10]) *exanimatorum corporum*[12]), *non bona sequentia*[16]) *domini deditionem exsatient*[16]); *qui*[11]) *placari nequeant* e. q. s.; 34,12 *quem semestri dictatura*[13]), *quem interregno quinque dierum*[13]) *contentum fore putes? quem*[11]) *... crees? quam isti stolidos ac socordes videri creditis eos, qui ... ingentibus rebus*[12]) *gestis dictatura*[13]) *se abdicaverunt aut qui vitio creati abierunt*[16]) *magistratu? quid ego antiqua repetam?*]. ‖ 8, 34, 7 *polluta*[16]) *semel militari*[10]) *disciplina non miles centurionis, non centurio*[22]) *tribuni, non tribunus legati, non legatus consulis, non magister equitum dictatoris pareat imperio*[23]), *nemo hominum, nemo deorum verecundiam habeat, non edicta imperatorum*[10]), *non auspicia observentur*; cf. 3, 39, 8. 4, 32, 3. 5, 11, 5 ‖; [54,7. 40, 10, 3; 15, 3. 44, 22, 12]. 45, 43, 2.

§ 4. Sexies redit verbum: [9, 9, 6 *si spopondissemus urbem hanc relicturum*[12]) *populum Romanum? si incensurum? si magistratus, si senatum*[12]), *si leges non habiturum, si sub regibus futurum?* cf. 5, 6, 17]; octies: [9, 34, 3 *haec est eadem familia, Quirites, cuius vi atque iniuriis*[15]) *conpulsi*[15]) *... cepistis, haec adversus quam ... comparastis; haec propter quam ... insedistis; haec quae faenebres leges, haec quae agrarias semper impugnavit*[16]), *haec conubia patrum et plebis*[11]) *interrupit*[16]), *haec plebi ad curules magistratus iter obsaepsit*[16]). *hoc*[11]) *est nomen multo quam Tarquiniorum infestius vestrae libertati.*][23])[24]); novies: [4, 5, 5 *si*].

---

[20]) Siquidem haec est anaphora rhetorica, quae proprie dicitur: exstant enim verba in precatione, qua pontifex Decium consulem devovet: cf. C. Thulin, Italische sakrale Poesie und Prosa, Berlin 1906, p. 54.

[21]) Apostrophe.

[22]) Reduplicatio sive gradatio.

[23]) Periphrasis.

[24]) Non neglegenda videtur collocatio verborum, quae quamquam certae figurae subiungi non potest, satis est artificiosa.

§ 5. Facile cognoscimus anaphoram complurium membrorum fere non inveniri nisi in orationibus — maximeque in directis —, in quibus figuram nonnunquam cumulari [25]), cum nonnullae aliae hoc ornamento careant [26]), docent loci ut [4, 4, 4 sqq. 6, 40, 7 sqq. 7, 40, 6 sqq.]. ‖ 8, 31, 4 sqq., 34, 7 sqq. ‖ simill.

Anaphoram quorundam vocabulorum leviorem esse, praesertim cum bis tantum repetuntur, apparet, cf. *ut*, *nunc*, *tum*, *non* etc. etc. Quod ad numerum exemplorum attinet, in prioribus libris eum paulo esse maiorem concedendum videtur. Atque si inspicimus anaphoras, quae decade V continentur, fugere nos non potest rarius exempla in ea inveniri atque nulla, quae plus quam quinque membra exhibeant. Lib. XLIII minime est ornatus librorum

---

[25]) Nonnunquam fit, ut plures anaphorae sequantur alia aliam sine ullo intervallo, ita ut conexae quasi sint inter se, id quod apud Ciceronem crebrius, raro apud Liv. scriptum videmus; cf. [40, 15, 1 *quin ad id, quod doles, quod invidia urit, reverteris? cur . . .? cur . . .? cur . . . dubiam et sollicitam facis? haec sentit Perseus etsi non dicit; haec . . ., haec . . . faciunt; haec domum, haec regnum tuum criminibus et suspicionibus replent. ego autem quia minor sum, quia tu me maiori cedere vis* c. q. s.].

[26]) Longiores orationes anaphoras non exhibere primo obtutu mirum quidem videbitur, minus mirabimur, quod in brevioribus anaphora non semper invenitur. Sed si totam vim nostrae figurae consideramus, statim cognoscimus illas orationes, quae anaphora carent, tranquilliores esse sive quod narrat quisquam, quo modo res gesserit ut Tempanius, decurio equitum, in contione ‖ 4, 41, 2 ‖; cf. [8, 13, 11], sive Tullius consulibus nuntiat, quae Volsci in animo habeant [2, 37, 3], sive Manlius filium adloquitur, priusquam lictori eum tradit [8, 7, 15], sive dux milites adhortatur, quos cum forti animo tum certa fiducia sui implere vult: [7, 32, 12] et ‖ 10, 39, 12 ‖. Similiter res se habet [9, 26, 14], ‖ 10, 24, 8 ‖, ubi Livius ipse de orationibus insequentibus haec verba facit, ibd. 4 *in contione, ut inter militares viros et factis potius quam dictis fretos, pauca verba habita.* Illa quoque oratio (45, 41) tranquillioris generis est, quam Paulus rebus in Macedonia bene gestis ad populum habet, qua de morte duorum filiorum conqueritur. Nonnullae orationes maiores difficultates praebent, ut ‖ 4, 35, 5 et 5, 2, 3 ‖, ubi forma orationis indirectae ea proferuntur, quibus tribuni plebem sollicitant. Tumidius certe genus dicendi exspectamus; sed hae voces summam quasi ex eis praebent, quae non unusquisque tribunorum dicit, sed quae omnes proferunt, quo fit, ut oratio, quae proprie dicitur, non exstet. Quibus a longioribus orationibus non segreganda videtur haec ‖ 3, 19, 6 ‖, qua L. Quinctius Cincinnatus Quirites acriter vituperat, neque tamen, dum verba facit, ita commovetur ut exspectamus. Livium hoc modo Cincinnatum virum moderatum et gravissimum esse, qui ne ira quidem vehementius concitetur, demonstra-

et huius et illius decadis, XLV maxime pro portione excellit. In lib. XL angusto loco (c. 8—15), i. e. in orationibus ad Philippum regem habitis magnum numerum (ca. XXX) anaphorarum legimus, cum cetera pars libri hac figura plane fere careat. Si summam quaerimus, dicendum erit Livium in posterioribus libris parciorem fuisse in adhibendis anaphoris, quarum DCC circiter in omnibus libris, quos tractandos sumpsimus, inveniuntur.

Cum de anaphora satis fecisse verborum videamur, iam de ea figura, quae huic contraria est, agamus, i. e.

XVIII. De antistropha[1],

quae est, cum bis vel saepius in extremo idem redit verbum.

§ 1. A Graecis haec figura ἐπιφορά [2]) vel ἐπιστροφή [3]) nominatur. Haec figura multo est rarior quam anaphora et saepe leve tantum vestigium eius invenitur, quod ex exemplis allatis satis certe, ut opinor, elucebit. Negari non potest in hac re nonnunquam casum alicuius momenti fuisse et de nonnullis dubitabimus, an figuram exstare pro certo habendum sit. Praeter cetera hoc de illis verborum formis passivis valet, quae verbo substantivo formantur ut 3, 5, 14 *ut Romam reditum est, iustitium remissum est.* 9, 13, 1 *ceterum sicut . . . concursum est, ita audita est*; cf. 3, 31, 1; 46, 8. 4, 5, 1. Hoc loco levem κακοφωνίαν exstare, etsi aliter talia esse dicta quam scripta me non fugit, ne ego quidem nego, qui in hoc vitio statuendo cautior fuisse mihi videor quam plurimi viri docti,

visse mihi quidem verisimile videtur. Sed quid de oratione Icilii Verginiam sponsam defendentis dicamus [3, 45, 6 sqq.]? Quae figuris vehementioribus non ornatur, et brevioribus et quasi abruptis enuntiatis imprimis ira Icili pingitur. Mirum quidem videtur, quod Livius occasionem peropportunam animos legentium quam maxime commovendi praetermisit, praesertim si alia lumina rhetoricae artis contemplamur, quae operi suo immiscuit. Voluitne nobis persuadere plebeium adulescentem illius aetatis non potuisse rhetorice verba facere? Quod ut credam vix adducar. Vides quam difficile sit de hac re disserere, sed cum tempus nos moneat, ne longius in unaquaque re consistamus, hanc de orationum compositione quaestionem relinquamus, quippe quae non videatur indigna, quae propria dissertatione perquiratur.

c. XVIII. adn. [1]) Straub 113. Volkm. 469. Gross 157. Gerb. II 1, 201 Dzial. 8. Conversionem eam vocant: Cic. de or. 206. auct. ad Heren. 4, 13, 19; cf. Quint. 9, 3, 30.

[2]) Rut. H. 6. [3]) Ps. Rufin 52.

qui de hac quaestione adhuc scripserunt. Liceat hoc loco aliquid monere, quod in posteriore huius dissertationis capite non nihil valebit. Certum enim videtur nostras quoque aures se illis veterum facetiis soni et festivitatibus accommodare posse, si diligentius huic arti operam navamus. Quo fit, ut non modo oculi sed etiam aures ad has res percipiendas iterum atque saepius incitanda sint; quae a viris doctis non satis respecta esse persuasum habeo. qui opinione mente iam concepta ad has res accedebant neque omnino vitare poterant, ne in errores se implicarent. Sed ne longius aberremus, revertamur ad verbum substantivum, unde orsi sumus. Non neglegendum videtur extremum locum omnino locum verbi esse et copulam levius hoc loco sentiri quam verba, quae proprie dicuntur.

§ 2. Iam nonnulla afferamus exempla:

a) Verbum quoddam in fine enuntiati forma eadem repetitur: [1, 28, 4 *si unquam fuit, . . . hesternum id proelium fuit*]. || 2, 15, 2 *Romani, nisi in perniciem suam faciles esse vellent, negarent, cui nihil negatum vellent* ||. 3, 34, 6 *publici privatique est iuris. vulgatur deinde . . . absolvi posse velut corpus iuris*; | 56, 13 *si Appius Claudius non sit? se documento futurum. utrum . . . firmata sit et . . . data sit* ||; cf. 7, 33, 6 *victoria*. 8, 39, 9 *cecidit*. [40, 12, 16 *habeo*]. 45, 13, 13 *misisset*; [39, 15 *audi*]. Praeter haec exempla nonnulla inveniuntur alia, quae vim rhetoricam fere non habent maximeque formis quibusdam *esse* copulae formantur.

b) Crebrius eadem vox forma mutata legitur: 1, 8, 2 *si se ipse venerabilem insignibus imperii fecisset, cum . . . tum maxime lictoribus duodecim sumptis fecit*; 11, 8 *quod . . . habuerint, pepigisse eam, quod in sinistris manibus haberent* [4]); [26, 10 *quem . . . vidistis, eum . . . videre potestis*]. 2, 61, 7 *ut . . . non minus reum timeret, quam . . . consulem timuerat*. 3, 43, 3 *opportuno adorti loco interficerent. haud multum interfecere*. || 4, 56, 11 . . . *hominum numero essent; si . . . esset, tum se animadversuros, ne qua . . . essent* ||. [6, 41, 6 . . . *habeamus, quae . . . habent*]. || 7, 20, 5 *cane meritos*

[4]) cf. 13, 5 . . . *Quirites a Curibus appellati. monumentum eius pugnae, ubi primam . . . statuit, Curtium lacum appellarunt*; quod certe antistr. non est: cf. 45, 34, 8 *in Italiam traiecit.* quod in fine duarum enuntiationum legitur.

c. XIX. adn. [1]) Straub 113. Volkm. 469. Dzial. 9. Groß 159. Gerb. II 1, 201.

crederet . . . factos? aut si quid hostiliter fecissent, consilio . . . fecisse ||. [40, 9 15 . . . *rem pro manifesto haberes: fatentes pro defensis habe.* 41, 23, 12 *graviores eos accolas Graecia habuisset, quam Asia Gallos habebat*]. 42, 38, 4 *si male meriti clementiam populi Romani experti essent, bene merendo liberalitatem experirentur*; simill.

Tria verba praeter locos supra allatos repetuntur: 9, 25, 3; 33, 7; 44, 13. 45, 7, 3. Insignius videtur: [10, 8, 6 *illi in suum numerum acceperunt: tu ne fastidieris nos in sacerdotum numerum accipere*]. Similiter bis exstat 7, 41, 2 *fraudi secessio esset*, sed tot vocabula inter utrumque membrum sunt, ut vix antistropham statuas.

§ 3. Vel ex hoc brevi florilegio intelleges nonnulla exempla esse dubia et si generaliter iudicare volumus, dicendum nobis est Livium hanc figuram eadem diligentia atque anaphoram non excoluisse, sed esse multa exempla quasi nativa et usu ipsius linguae postulata. Nonnulla fortasse melius polyptoto adiudicari possunt, cum vix quaedam antistrophes vis in eis sentiatur. Libri decadis I et V satis, quod ad antistropham attinet, inter se differre videntur; aliter res se habet in lib. XLV, qui numero exemplorum libris decadis I inferior non est.

Sequitur ea figura, quae anaphorae et antistrophes rationem iungit, i. e.

XIX. Symploce[1]),

quae κοινότης[2]) sive complexio[3]) nominatur. Est autem symploce, *cum idem primum verbum repetimus et crebro ad idem postremum revertimur*[4]). Qui exempla huius figurae, quae rarissima est et nonnunquam in contentionis exemplis exstat, requirit, eum revoco ad 1, 32, 8 *haec portam ingrediens, haec forum ingressus.* [3, 67, 4 *si culpa in nobis est, auferte imperium indignis et si id parum est, insuper poenas expetite.* 5. 6, 4 *adeo molles animos, ut . . . abesse ab domo non possint? ut . . . non frigora pati possint?* 6, 40, 18 *ut duos plebeios fieri consules liceat, duos patricios non liceat*[5])? 7, 40, 9 *eodem tenore duo insequentes consulatus gessi,*

---

[2]) Rut. 7. [3]) auct. ad Heren. 4, 14, 20.

[4]) Bentzius, De figuris libri II, s. l. 1594, p. 118.

[5]) Sequitur: *et alterum . . . praeterire liceat?* Coniunguntur igitur symploce et antistropha.

eodem haec imperiosa dictatura geretur. 40, 10, 2 *qui occisurus fratrem fuit, habeat etiam iratos paternos deos, qui periturus fraterno scelere fuit, perfugium habeat*; ibd. 4 *si vero ad fratrem invitatus, moriendum est, si recepero intra ianuam comisatum fratrem, moriendum est*]. || 42, 32, 2 *sacrificia habere quae absente se recte fieri non possent, quae non magis consule quam praetore absente recte fieri posse* || .

XX. *Κύκλος*[1]),

de quo rhetores aliquantulum dissentiunt, a Latinis reditio nominatur. Iul. Ruf. (H 50) *ἐπαναδίπλωσιν*, inclusionem vocat, cum idem verbum in eadem sententia et primum est et extremum. Haec quoque figura rara est, sed paulo saepius quam symploce exstat: 1, 3, 2 *hicine fuerit Ascanius an maior quam hic*[2]): [32, 10 *audi, Iuppiter, et tu . . . vosque, inferni, audite.* 2, 14, 5 *omisso Romano bello . . . Arruntem Ariciam oppugnatum mittit*: 34, 10 *rapiant frumenta . . . quem ad modum . . . . rapuere.* 3, 5, 8 *venissetque in periculum, ni . . . subvenisset*; || 17, 7 *se arma capere, vocare ad arma* || ; 54, 3 *odium in se aliorum suo in eos metiens odio.* 5, 49, 8 *servatam deinde bello patriam iterum in pace haud dubia servavit*[3]). 7, 3, 4 . . . *dictatorem clavi figendi causa dici iussit, dictus . . . magistrum equitum dixit*[4]); [13, 10 *cum vincere cupimus tum te duce vincere.* 40, 8, 19 *decernite criminibus, mox ferro decreturi*]. || 42, 6, 8 *imperaretque sibi populus Romanus, quae bono fidelique socio essent imperanda* || ; cf. [13, 5]; 53, 4 *omnibus gratiae actae, remissum omnibus*; [8, 13, 14; 33, 8. 9, 4, 16; 34, 2, 10, 17, 6; 28, 13]; || 24, 13 || . 45, 19, 3; 20, 2; [39, 1][5]) rell. Neque hinc excludendus est usus, qui invenitur 10, 46, 2 *triumphavit in magistratu insigni, ut illorum temporum habitus erat, triumpho.* 42, 53, 4 *vehicula tantum imperata, ut . . . veherent*; 57, 6 *praegressus ipse cum equitibus ac levi armatura: et Cotys cum eo ducesque . . . praecesserunt.*

Nunc persequamur ea, quae auct. ad Her. 4, 28, 38

c. XX. adn. [1]) Straub 116. Volkm. 471. Gerb. II 1, 202. Dzial. 9.

[2]) Non me fugit hoc exemplum et fere omnia quae sequuntur, secundum definitionem Hermogenis (Sp. II, 252) esse excludenda, qui dicit: . . . *μήτε πτῶσιν ἐναλλάξας μήτε σχῆμα μήτε χρόνον μήτε ἀριθμόν.*

[3]) Hoc exemplo figura etymologica formatur.

[4]) *Κύκλος* cum reduplicatione coniungitur.

[5]) Coniungitur *κύκλος* cum antistrophes figura.

XXI. Conduplicationem[1])

§ 1. nominat et definit eiusdem unius aut plurium verborum iterationem. Sed cum confusio quaedam esse quod ad hanc figuram attinet videatur, priusquam accuratius disseram, liceat pauca praemittere de vi conduplicationis atque usu. Multa huius figurae nomina occurrunt: *ἐπανάληψις*, *ἀναδίπλωσις*, *παλιλλογία*, *ἐπίζευξις*, *ἐπαναφορά*, repetitio, resumptio, iteratio, duplicatio, neque mirum est, alium aliter de his nominibus sensisse. Optima esse ea exempla videntur, quibus duo vocabula repetuntur, inter quae alia non interponantur[2]). Natura fit, ut eiusmodi exemplis, si alicuius momenti sunt, fere nemo nisi orator utatur; frequentius alterum est genus, quo post nonnulla interposita vocabula eadem vox repetitur. Sed hinc difficultas oritur: saepius eiusmodi elocutio anaphorae simillima erit, ut dubites, utri figurae sit attribuenda, nam figura certe putanda est. Quamquam res per se nullius est momenti, cum auctor noster multis in exemplis omnino fortasse non senserit se hanc vel illam figuram adhibere, tamen necesse erit nos, qui elocutiones illas artificiosas describimus atque enumeramus, omnes figuras quantum potest certis finibus circumcludere; qua re ego, cum viri docti dubia exempla semper fere conduplicationi attribuerint, nescio an rectius faciam, si uniuscuiusque exempli vim respiciens hoc exemplum illi, illud huic figurae attribuam. Semper enim id videtur cavendum, ne nimis artificiosis definitionibus veterum constringamur neve parum sensui atque rationi nostrae aetatis relinquamus. Quae cum ita sint, tantum abest, ut ego in hac quoque re semper cum Straubio faciam, ut eum vituperem, quod exempla affert, quale est Cic. in Verr. II, 4, 101 *id concupisti, quod nunquam videras: id, inquam, adamasti, quod antea non aspexeras*, dicens p. 115: *Interdum fit, ut non idem verbum iteretur, sed aliud ponatur, quod idem valeat.* Mirum quidem videtur, quod Straubius hoc genus in anaphora, ubi multo

---

c. XXI. adn. [1]) Straub 114. Volkm. 470. Gerb. II1, 189. Dzial. 8. Groß 161; cf. Wölfflin, Sitzgber. d. Kgl. bayr. Ak. 1882, I, 422. Stolz-Schmalz, Lateinische Grammatik⁴, München 1910 (Iw. Müller II 2), p. 670; ad imperativi conduplicationem cf. Birt, Arch. f. l. L. XI (1900), 188.

[2]) Leviora tantum exempla apud Liv. leguntur: cf. 2, 30, 2 *offecere officientque*; 9, 19, 17 *avertit avertetque*.

maior inest ei vis, neglexit. Id unum vocabulum *inquam* conduplicationis figuram efficere, equidem non adducar ut credam, quam quam certum est figuram aliquam exstare; sed exemplum a viro docto allatum esse disiunctionis, de qua infra agetur, puto. Ne longi simus, ad recensenda exempla accedamus, in quibus quin nonnunquam a me dissentias non dubito.

§ 2. Levissimam constare conduplicationem censeo hoc modo: 1, 43, 10 *eadem vi eodemque iure*[3]. 5, 31, 3 *eodem anno aedes Iunonis reginae ab eodem dictatore eodemque bello vota dedicatur*: cf. 45, 8. 9, 25, 8; 34, 10. [42, 5, 10]; 57, 10. [45, 39, 11] etc. 5. 21, 2 *tuo ductu tuoque nomine*. 7, 26, 15 *cuius populi ea cuiusque gentis classis fuerit*. Insigniora videntur: 1, 47. 2 *non sibi defuisse, cui . . .; defuisse* e. q. s.; ibd. 1. *tum vero in dies infestior Tulli senectus, infestius coepit regnum esse*; 56, 6 *per ignotas ea tempestate terras, ignotiora maria*. 2, 13, 11 *Romani novam in femina virtutem novo genere honoris . . . donavere*. [3, 19, 9 *si quis vobis humillimus homo de vestra plebe, quam . . . fecistis, si quis ex his* e. q. s.]; ‖ 57, 5 *proinde ut ille iterum ac saepius provocet, se sic iterum ac saepius . . . ferre* ‖. 4, 24, 2 *iussos suo consilio bellum initum suis viribus exsequi*. 5, 21, 14 *(praeda) cum ante oculos . . . opinione maior maiorisque pretii rerum ferretur*: 27, 3 *scelestiori facinori scelestiorem sermonem addit*; cf. [ibd. 5. 40. 4. 1]. 5, 29, 9 *si tribunicia vis tribunicio auxilio repelli nequeat*. [6, 12, 9 *deos esse, qui Romanum adiuvent, deos, qui . . . miserint*]; 28, 7 *has inanium rerum inanes ipsas cogitationes volventes*. ‖ 7, 32, 6 *magis magisque* ‖; cf. 8, 39, 5. 40, 22, 2. [9, 9, 11 *et illi male partam victoriam male perdiderunt*; ibd. 15 *vanam victoriam vanior irritam faceret pax*; 34, 16 *censuram geram et solus geram*][4]. ‖ 10, 7, 4 sq. *tum P. Decium consulem . . .: eundem P. Decium, qui . . .* ‖; [8, 8 *L. Sextius primus de plebe consul est factus, C. Licinius Stolo primus magister equitum, C. Marcius Rutilus primus et dictator et censor, Q. Publilius Philo primus praetor*. 40, 11, 7 *cupit regnum et*

[3]) Eiusmodi exempla, quae coniunctione copulativa carent, anaphorae subiunxi, quod voces ἀσυνδέτως adhibitae partes quasi interruptae eiusdem sententiae sunt, quarum in capitibus anaphora exstat. Coniunctionibus autem copulativis exstantibus utrumque vocabulum una eademque sententia sentitur, quo fit, ut in illo genere magis anaphorae, in hoc conduplicationis vis intellegatur.

quidem scelerate cupit[4]); 15, 10 *non hodie primum frater accusat, sed hodie primum aperte.* 42, 41, 13 *iure feci meo, cum mei regni, meae dicionis essent, vestro decreto patri attributi meo*]. || 43, 14, 3 *non consulibus, sed ambitiosis consulibus* || . 44, 7, 1 *patere omnia in omnes partes*; cf. 7, 36, 8. 40, 3, 6. [45, 24, 11 *omnia libera capita, quidquid . . . est, cum omni pecunia . . . veniemus et omni auro et argento*] simill.

§ 3. Haec ad illustrandam conduplicationis naturam satis erunt. Negari vix poterit in posterioribus libris decadis I pulchriora exstare exempla, in quibus orationes sint ornatiores. Libri XL, XLII, XLV ab eis non multum videntur abesse, reliqui pauca tantum exempla continent, sed propter similitudinem, quae saepe intercedit cum anaphora, difficile est certe iudicare. Quamquam nonnulla, quae attuli, leviora sunt, neque multum a polyptoto differunt, tamen statuamus Livium hanc figuram non modo non neglexisse, sed etiam nonnunquam diligenter excoluisse.

Conduplicationi porro affinis est

XXII. Reduplicatio[1])

§ 1. sive ἀναδίπλωσις sive ἀναστροφή sive παλιλλογία etc.[2]), qua ea *quae in superiore membro postrema ponuntur in posteriore prima repetuntur*[3]). Landgrafii[4]), doctissimi viri, sententiam in omnibus rebus probare non possum, quod nonnullae reduplicationes, quas habet, vix sentiri censeo; affert enim exemplum, in quo duo

---

4) Hoc exemplo reditur ad idem verbum cum adiectione quadam, qua vis valde augetur.

c. XXII. adn. 1) Straub 115, qui iusto brevius de hac re disputavisse videtur. Volkm. 471. Gerb. II 1, 204. Dzial. 10. Groß 160; cf. Wölfflin, Arch. f. l. L. VIII (1893), 141. Affertur a quibusdam Fabri, Titi Livii historiarum ab urbe condita liber XXIII et XXIV, Norimbergae 1840, ad 24, 1, 8, qui fere nihil de hac figura dicit.

2) Cic. de or. III, 206: regressio, revocatio verbi.

3) Aquila H. 32.

4) Ciceros Rede für Sextus Roscius, Erlg. 1882, p. 197. L. huc revocat: „Fälle wie 35, 19, 4 *hoc me in patria mea expulit, hoc patria extorrem in tuam regiam adduxit,* weil hier *extorrem* für *expulsum* eintritt . . . eine Art der permutatio wie bei der figura etymologica *aetatem vivere* für *vitam vivere*"; cf. [6, 12, 10 *terrorem . . . occupatis alio terrore infer invectusque ordines pugnantium dissipa*].

illa disparia vocabula, quae tamen idem significant, non se excipiunt, sed nonnullis verbis interpositis dirimuntur, ego autem hoc genus, nisi verba sine ullo intervallo posita sunt, nihil fere valere puto. Adhibetur autem reduplicatio non brevitatis tantum. sed etiam venustatis causa [5]). Iam ad singula convertamus:

§ 2. 1, 5, 3 *Remum cepisse, captum regi Amulio tradidisse* [6]): 8, 7 . . . *creari patres possent. Patres certe* e. q. s.; ‖ 9, 15 *quibus fors corpora dedisset, darent animos* ‖ [7]); [23, 9 *quoniam in dubiam aleam imus, ineamus aliquam viam*]; 26, 5 *raptus in ius ad regem. Rex, ne ipse* e. q. s.; 41, 2 *ne inultam mortem soceri, ne socrum inimicis ludibrio esse sinat*; 44, 4 *ita pomerium profert. pomerium* e. q. s.

2, 21, 5 . . . *nuntio Tarquinii mortis. mortuus Cumis* e. q. s.; 56, 13 *victorem mittit ad consulem, consul lictorem ad tribunum.* 3, 41, 1 *ut de re p. liceret dicere; dicturos ad populum.* ‖ 4, 2, 7 *populus consules creet. et creaturos haud dubie* ‖ ; cf. 44, 21. 2. [7, 35, 5 . . . *captum a nobis; nos tam paucos* e. q. s. 8, 4, 4 *ibi et imperii pars est? est quidem* . . .]. 40, 16, 6 *Ligures recipi et receptis arma adimi.* 41, 3, 7 . . . *virtute recipiant. et recipi facile esse.* ‖ 42, 3, 6 *quod non Pyrrhus, non Hannibal violassent, violare parum habuisse* ‖. 44, 18, 5 *ut . . . legaret. legati biduo post* e. q. s. [45, 38, 2 . . . *vicistis. Vincere vos* . . .] simill.

§ 3. Quae satis videntur ad reduplicationem explanandam. Quam in simplici narratione saepius inveniri non mirabimur, si Fritzschii verba respexerimus, cui adsentiendum est in universum

---

[5]) cf. Fritzsche, Des Q. Horatius Flaccus Sermonen. Lpzg. 1875: ad sat. II, 3, 104: Bei den Römern hat unter den Historikern nächst Cäsar namentlich Livius diese Art des Ausdrucks, teils um die Darstellung überhaupt knapper zu machen, als durch einen mit *et, tum* oder den Pronomina *is, ea, id* eingeleiteten Satz hätte geschehen hönnen, teils um die rasche Aufeinanderfolge der Handlungen anzuzeigen oder noch öfter, um das Nachhaltige oder die Wichtigkeit der durch das Verbum bezeichneten Tat dem Leser recht nahe zu bringen. Cicero ändert diesen Gebrauch dahin ab, daß er nicht dasselbe Verbum, sondern ein sinnverwandtes im Particip folgen läßt. Müller ad 1, 5, 3 apud poetas vulgarem esse hanc figuram docet, apud prosaicos ante Livium raram Cicerone non excepto.

[6]) 1, 3, 8 *Latino Alba ortus, Alba Atys, Atye Capys, Capye Capetus, Capeto Tiberinus*: hoc an figurate sit dictum, dubitari potest; gradationi quoque non dissimile est.

[7]) cf. 40, 27, 14 *quibus . . . signum dedisset; daret signum* . . .; 31, 9 . . . *capiuntur castra, castris captis* simill., quae χιασμῷ similia sunt.

Livium hac figura large usum esse. Haec quoque figura, quae in omnibus decadis I libris eodem fere numero exstat, in posterioribus paulo esse rarior videtur.

Quibus expositis dicendum erit

XXIII. De gradatione[1]),

cuius duo internoscimus genera, alterum quod veteres, alterum recentiores quod constituerunt. Illud enim nihil aliud esse Straubio videtur ac reduplicatio per complura membra enuntiati ducta, cui nomen est *κλῖμαξ* vel *ἐπιπλοκή*; hoc est Quintiliani (8, 4. 3) incrementum, quod a parvis per maiora ad maximum res auget vel contra. In exemplis eligendis nonnunquam ea difficultate impedimur, quod difficillimum saepe est diiudicare exemplum levius utrum huic figurae, quae satis raro in prioribus quidem libris a Livio adhibetur, an synonymiae, de qua infra agetur, subiciendum sit[2]).

Iam exempla inspiciamus: I. Exempla secundum veterum definitionem huc pertinentia: 1, 3, 8 *Latino Alba ortus, Alba Atys, Atye Capys, Capye Capetus* e. q. s.[3]). ‖ 8, 34, 7 *polluta semel militari disciplina non miles centurionis, non centurio tribuni, non tribunus legati, non legatus consulis, non magister equitum dictatoris pareat imperio* ‖.

II. Multo crebriora sunt exempla alterius generis: 1, 1, 8 *Troianos esse, ducem Aeneam, filium Anchisae et Veneris* e. q. s. 2, 23, 6 *primo se agro paterno exuisse, deinde fortunis aliis, postremo velut tabem pervenisse ad corpus*[4]); cf. 41, 2, 8 *primo pauci . . .*,

---

c. XXIII. adn. [1]) Straub 116. Volkm. 474. Gerb. II 1, 205. Dzial. 15.

[2]) M. Müller locis compluribus affert exempla, quae non rara apud Liv. sunt, ut 1, 7, 8 *venerabilis vir miraculo litterarum . . . venerabilior divinitate creditae Carmentae matris.* 2, 29, 5 *senatus tumultuose vocatus tumultuosius consulitur*; 33, 10 *patribus ac plebi carus, post secessionem carior plebi factus*; 35, 6 *Volsci benigne excepere, benigniusque in dies colebant*; simill., quae conduplicationi subiunxi; gradationem quandam effici nemo negabit, sed ea non est, quam figurae gradationis attribuamus, praesertim cum omnes, quas adhuc tractavimus verborum figuras, similem amplificationem praebeant, cf. Weißenb. ad 1, 7, 8.

[3]) cf. c. XXII. adn. 6.

[4]) Tales gradationis formae nominantur a Witte, l. c. 384: stehende Züge livianischer Erzählungstechnik.

dein plures . . ., postremo prope omnes; cf. 43, 7, 7. 45, 1, 2. 2, 58, 7 *segniter, otiose, neglegenter, contumaciter omnia agere*[5]). [3, 17, 5 *non quidquid patrum plebisque est, consules, tribunos, deos hominesque omnes armatos opus ferre* e. q. s.]; ‖ 19, 5 *loquaces, seditiosos, semina discordiarum, iterum ac saepius tribunos pessimis artibus regia licentia vivere* ‖. [4, 4, 6 *quid est aliud quam exilium intra eadem moenia, quam relegationem pati?*]. ‖ 6, 6, 8 *ingens, ait, onus a populo Romano sibi . . ., magnum a senatu . . ., maximum tam honorato collegarum obsequio iniungi* ‖. [7, 30, 19 *vobis arabitur ager Campanus, vobis Capua urbs frequentabitur; conditorum*[6]), *parentium, deorum immortalium numero nobis eritis, nulla colonia vestra erit* e. q. s.]. 9, 14, 11 *caedunt pariter resistentes fusosque, inermes atque armatos, servos liberos, puberes impubes, homines iumentaque*. [40, 11, 7 *ordinem aetatis, naturae, civitatis Macedonum, iuris gentium*; cf. ibd. 8; 13, 4]. 42, 22, 2. [44, 38, 9]. 45, 19, 15 etc.

Apparet summam vim gradationis in orationibus inveniri. quo fit, ut insigniora exempla nisi in eis libris, qui orationes continent, fere non invenias. Differentiae autem maiores, si in universum spectamus, inter primae et quintae decadis libris statui non possunt.

Non procul abest ab hac figura, id quod supra leviter adnotavimus,

XXIV. Synonymia[1]),

de qua si disputemus difficile est modum tenere.

§ 1. Est autem *ταυτολογία* coniunctio complurium vocum, quae idem fere significant et eam gradationem posse vocari, si per plura voca-

[5]) Eiusmodi exempla a Straubio synonymiae subiungi me non fugit.

[6]) cf. c. XVII. adn. 12.

c. XXIV. adn. [1]) Straub 122. Monse P. 8. Dzial. 13. Gerb. II2, 2. Groß 180. Volkm. 451. Petzke 55. Parreidt 9. Roth, De Taciti synonymis et per figuram *ἓν διὰ δυοῖν* dictis, Norimbergae 1821, qui graviter vituperatur a. C. F. W. Müller, Phil. VII (1852), p. 297; cf. Ph. Spitta, De Taciti in componendis enuntiatis ratione I, diss. Gottg. 1866, p. 49. Heinichen, Lehrbuch des lateinischen Stils, Lpzg. 1842, p. 288. Gossrau, Latein. Sprachlehre, Quedlinburg 1869, p. 592. Kühner, Ausführliche Grammatik der lateinischen Sprache, Hannover 1877—79, II2, 1049. Ziemer, Junggrammatische Streifzüge, Colberg 1882, p. 45. Gottl. Hatz, Beiträge zur lateinischen Stilistik, Schweinfurt 1886, p. 1. Woelfflin, Arch. f. l. L. IV (1887), 143. Ulbricht, Taciti qui ad figuram hendiadyoin referuntur

bula quam tria vel quattuor ducatur, superiore loco Straubii sententiam recensentes[2]) constituimus. Locos autem, quibus invenitur copulatio complurium pronominum, quae unum eundemque sensum habent, et adverbiorum temporis et coniunctionum, id quod non raro apud Liv. scriptum videmus[3]), non collegi.

Straubium in exemplorum divisione non sequar, quamquam negari non plane potest eam quam profert una ex parte alicuius momenti esse. Discernit enim vir doctus duo genera, *unum cum eadem res et propria et tropica dictione effertur, alterum, cum verbo et universo et magis proprio indicatur, quod a grammaticis ἓν διὰ δυοῖν dici solet.* Sed etsi neglegamus huic distributioni multas inesse difficultates, Straubius ipse concedit cum in dubium vocari posse hanc distributionem multis locis alia exemplorum interpretatione, tum praeter eiusmodi exempla permulta exstare alia similia vocabula figurate coniuncta, quae his duobus capitibus subiungi non possunt. Quae cum ita sint, eiusmodi synonymiae descriptionem neglegamus atque id solum agamus, ut huius figurae vim et usum magis exemplis afferendis quam disserendo adumbremus.

In locis distribuendis ea tenebimur ratione, ut particulas respiciamus, quibus membra synonymiae coniunguntur, quamquam haec quoque ratio multas exhibet molestias. Maximam autem voluptatem in hoc quidem capite in eo esse positam puto, quod hanc

---

locos congessit etc., diss. Lips. 1874. p. 1 et 29, qui figuram synonymiae et ἓν διὰ δυοῖν eandem esse docet; de τρικώλοις cf. Leo, Analecta Plautina. De figuris sermonis III, prooem. Gottg. 1906.

[2]) Vir doctus eum quoque usum huc pertinere putat, quo eadem vel similis res pluribus sententiis exprimatur, quem aut gradationi aut disiunctioni attribuere malim.

[3]) πλεονασμός: cf. Bruchmann 180 et 252. Albr. Köhler, Act. sem. phil. Erlang. I (1878), 447. C. F. W. Müller, Synt. des Nom. u. Akkus., p. 44; cf. M. Müller ad praef. 12 extr.; 1, 44, 3. 2, 9, 7 et 18, 4. Weißenb.-Müll. ad 2, 8, 3 etc.; cf. 1, 25, 2 *itaque ergo.* 2, 47, 11 *deinde deinceps.* Talia quoque omisi, quae similia sunt: 5, 5, 6 *rursus novus de integro.* 4, 1, 9 *initium caedis ortum.* [40, 9, 10 *simulacro ludicro pugnae.* 41, 23, 13 *medio umbilico*]. 44, 2, 4 *profectus castra movit*; cf. adn. Weißenb.-Muell.: 9, 7 *oras extremae testudinis*: cf. M. Müller, progr. II, 4. Kühnast, Hptp. 273. Reisig, Vorlesungen über lateinische Sprachwissenschaft, ediderunt Haase - Schmalz - Landgraf, Bln. 1888, p. 833. Fritz Hache, Quaestiones archaicae, diss. Vrat. 1907, p. 10.

illam vocem alio loco alio modo usurpatam videmus, qua re commotus similes elocutiones adnotationibus subiunxi, etsi hoc modo ratio distribuendi saepe perrumpitur. Concedendum videtur nonnunquam fortasse adnotationes augeri potuisse atque suppleri, cum difficillimum sit synonymiam satis semper certis finibus circumdare. Propter molem materiae pauca tantum a me singulis capitibus, nihil singulis exemplis adicietur[4]).

§ 2. Quae cum nobis proposuerimus, primum agamus de eis formulis, quae *que* particula formantur, quae in tertia fere parte omnium exemplorum decadis I — ex qua DC circiter exempla in synonymiam cadere puto — legitur; in libris decadis V, quibus CCL fere exempla insunt, *que* paulo *et* particula vinci videtur. 1, 1, 10 *stabili certaque sede*[5]); 2, 6 *ius fasque*[6]); 3, 1 *avitum paternumque*[7]); 10, 4 *fundit fugatque*[8]); 15, 2 *instructus intentusque*[9]);

---

[4]) Exemplis a me allatis id non comprobari satis elucebit, quod Friedersdorff ad 26,48,11 adscripsit: Die Verbindung von Synonymen gleichen Stammes ist bei Livius beliebt, sie entspricht der Redeweise des Volkes.

[5]) 1, 55, 4 *firma stabiliaque.* [44, 22, 10 *firmi et constantis animi*]; 35, 19 *stabilior et tutior.* 2, 15, 5 *certum atque obstinatum*; 45, 13 *certum atque decretum*; cf. [3, 21, 5 *decreta et consulta*]. 6, 1, 3 *clariora certioraque.* 1, 9, 7 *rem claram exspectatamque.* 10, 37, 4 *clarior maiorque.* || 40, 39, 9 *clarum ac memorabilem* ||. 2, 6, 7 *proprius ac certius cognovit.* 4, 13, 9 *incerti vanique.* 1, 7, 6 *confusus atque incertus.* 10, 36, 3 *clamore incerto atque inpari.* 42, 49, 4 *quam incertus fortunae eventus communisque Mars.*

[6]) cf. 3, 55, 5. || 7, 6, 11 ||; [31, 3]. 8, 10. 1; 39, 13. [40, 15, 5]. 45, 33, 2. — 7, 17, 12 *ius ratumque*; cf. || 9, 33, 9 ||. 42, 21, 3 *contra ius ac fas.* [40, 35, 13 *in ius dicionemque*]. 41, 22, 4 *sub ius iudiciumque.* || 42, 46, 4 *ius ac potestas* ||; 31, 5 *iudicium arbitriumque*; 34, 7 *spectatorem ac iudicem.* || 45, 19, 15 *iniuriis probrisque* ||. 41, 20, 1 *ius dicebat disceptabatque*; cf. 43. 8. 1 *disceptaret purgaretque.*

[7]) 2, 23, 6; cf. 8, 11, 1 *priscis ac patriis.*

[8]) cf. Wölfflin ad 21, 9, 2. 2, 6, 11; 31, 1; 53, 3. 3, 8, 5. 41, 12, 5. 3, 11, 8 *ac.* 40, 48, 6 *fusi fugati.* *que* ad duo verba coniungenda alias raro adhiberi docet Muell. ad 2. 32, 11: excipiuntur *fundit fugatque.* quod in dec. I crebrius est quam in V, *viximus vigemusque* (2, 32. 11) *vivebat virebatque* (6, 22, 7). — 40, 52. 6 *fusa contusa fugataque*, quod ex inscriptione quadam affertur. 41, 18, 1 *victos fugatosque.* 42, 13, 9 *confudit et miscuit.*

[9]) cf. 3, 8, 8 *et.* 6, 29, 1. 10, 43, 2. 3, 14, 4 *instructi paratique*; cf. 6, 6, 13. 8. 30. 4. 42, 52. 3. 43. 3. 7. 45, 2, 9. 10, 34, 5 *compositus instructusque*; cf. 40, 28, 1 *et.* 42, 43, 3 *praeparata atque instructa*; 45, 7 *instructam ornatamque*; 66, 4 *instructos et praeparatos.* [40, 15, 13 *praeparata ac meditata*; ibd. 12 *meditandam et componendam*]. 41, 2, 12 *paratam expositamque copiam.* — 7. 2, 7 *incompositum ac rudem.* 43, 10, 4 *incompositi, longo agmine effusi.* 44, 12, 3 *incompositos atque*

17, 11 *sciscerent iuberentque*[10]: [23, 9 *fessos confectosque*[11]; 24, 8 *potes pollesque*[12])]: 25, 5 *telorum armorumque*[13]; 32, 6 *iuste pieque*; cf. || 42, 23, 6; 47, 8 *ac* ||. 1, 32, 2 *puro pioque*[14]: 42, 4 *discriminis ordinumque*[15]; 45, 2 *hospitia amicitiasque*[16]; 48, 7 *foedum inhumanumque*[17]; ibd. *contaminata respersaque*[18]; 50, 7 *seditiosus facinorosusque*[19]; 55, 2 *fana sacellaque*; 55, 2 *consecrata inaugurataque*[20]: 56, 4 *terrorem fugamque*[21]; 58, 7 *dexteras fidem-*

---

inordinatos; [39, 1 *inconditam inordinatamque*]. — Adiectiva cum *in* privativo composita fere semper particulis *que* vel *atque* coniungi docet Woelfflin ad 21, 32, 7. — Cf. [40, 12, 7 *ficto et composito argumento*].

10) 42, 21, 8 *scivit iussitque*; cf. 45, 13, 11 *cognoscerent statuerentque*.

11) Disiunctioni simillimum est: [44, 38, 9 *itinere fatigatum et onere fessum*].

12) cf. [8, 7, 5 et 33, 8].

13) 1, 6, 1 *praesidio armisque*; 27, 3 *bellum atque arma*; cf. 3, 69, 2 *et*. 4, 9, 11; 37, 5 *que*. 7, 20, 2 *aut*. 9, 10, 5 *et*. 1, 53, 7 *tela et gladios*. 5, 42, 8 *arma ferrumque*; cf. || 10, 16, 6 *et* ||; 11, 7 *arma et rebellionem*. 41, 2, 13 *armorum hostiumque*; [24, 11 *armatum et bellum gerentem*]. 42, 65, 8 *iaculis sagittisque*. 44, 35, 12 *iacula enim et sagittas et cetera missilia*; ibd. 21 *omni genere missilium telorumque ac saxis*.

14) cf. 3, 25, 3 *ac*. || 10, 7, 4 ||. 1, 48, 8 *iusta ac legitima*. || 4, 15, 3 *iura legesque*. 7, 20, 4 *caste ac religiose* ||. 44, 46, 11 *bono ac iusto*. || 45, 19, 17 *pietatem constantiamque* ||. [3, 56, 4 *inpie nefarieque*].

15) ibd. *dignitatis fortunaeque*; cf. || 42, 50, 9 ||. [40, 10, 8 *et*]. 2, 14, 8 *fortuna et specie supplicum*. 3, 12, 6 *naturae fortunaeque*. 40, 5, 2 *favorem et dignitatem*. || 42, 46, 4 *dignitate atque opibus* ||; 49, 2 *dignitate ac maiestate*; cf. || 50, 11 ||. 45, 4, 6 *statu et condicione fortunae*; [41, 12 *felicitas et secunda fortuna*]. — [40, 9, 3 *gradum, caritatem filii*]. 45, 13, 6 *recte atque ordine*.

16) 8, 3, 3 *hospitiis necessitudinibusque*. || 9, 3, 10 *pacem amicitiamque* ||; cf. 45, 18. — 1, 31, 7 *pax veniaque*. || 42, 25, 13 *hospitaliter aut benigne* ||; cf. 39, 8 *c*; 38, 9 *amicitiam hospitiumque*; [42, 4 *amicum et hospitem*]; cf. 45, 44, 6 *que*; 31, 7; 20, 8 *comiter atque hospitaliter*. 42, 1, 10 *benigne comiterque*; 14, 7 *per patronos hospitesque*.

17) 4, 49, 13 *saevum atque inhumanum*. [9, 4, 15 *foeda atque ignominiosa*].

18) 2, 37, 9 *conosceleratos contaminatosque*; cf. || 41, 6, 10 *maculari dehonestarique* ||.

19) || 3, 19, 5 *loquaces, seditiosos, semina discordiarum* ||. 4, 30, 2 *iurgia et seditiones*. 9, 14, 5 *domesticis seditionibus discordiisque*. 42, 4, 5 *discordiis seditionibusque*. [45, 37, 1 *seditiosos et leves*]; cf. 5, 22, 6 *levem ac facilem*.

20) cf. 1, 55, 4 *omen auguriumque*. [5, 52, 2 *auspicato inauguratoque*. 6, 41, 4 *religionibus atque auspiciis*]; cf. adn. 14 et 75.

21) cf. [1, 28, 5]. 42, 60, 8. 6, 42, 8 *pavor terrorque*; cf. 8, 9, 11. 5, 21, 11 *terrentium ac paventium*. 1, 29, 2 *non tumultus nec pavor*; cf. 59, 6. [8, 9, 7 *terrore formidine*]. || 10, 28, 16 *formidinem ac fugam* ||; cf. 14, 20. 7, 37, 16.

que[22]). 2, 30, 9 *campis locoque*[23]; 39, 7 *suspectos infensosque*[24]); 45, 6 *superbe insolenterque*[25]); 46, 4 *spectaculo exemploque*. 6, 3, 4 *luctum lacrimasque*[26]); ibd. 10 *inviolatum integrumque*[27]); [6, 14 *urbi moenibusque*[28])]; 18, 3 *animorum irarumque*[29]); 35, 2 *conando*

10, 29, 4 *furiarum ac formidinis*. [40, 12, 8 *metu et tumultu*; 14, 2 *miseria et metus*]. 41, 5, 2 *terrore ac tumultu*. 42, 64, 4 *tumultu ac terrore*. 44, 30, 7 *vi aut terrore*; 33, 5 *ordine ac sine tumultu*. — 5, 7, 4 *curam metumque*. 3, 6, 9 *circuitio ac cura*. 4, 43, 9 *providentia curaque*. 42, 19, 5 *curae ac velut tutelae*; 52, 11 *cura et impensa* ||. 3, 15, 7 *pavida et consternata*. — 40, 56, 9 *curis et vigiliis*. 2, 39, 9 *stationes vigiliasque*. [5, 44, 6 *stationibus ac custodiis*].

22) cf. 40, 46, 15. 1, 2, 5 *studio ac fide*; 9, 13 *per fas ac fidem*, cf. adn. Weißenb.; 21, 1 *fides ac ius iurandum*; [28, 9 *fidem ac foedera*]; 19, 4 *societate ac foederibus*. 2, 27, 1 *promissa fidemque*. || 3, 58, 5 *fidem atque auxilium* ||; 72, 3 *famae ac fidei*. [41, 24, 9 *fidei auctoritatisque*]; 25, 4 *fidem datam deosque testes*. 44, 9, 1 *fidem clementiamque*; cf. 45, 4, 7 *et*. 44, 1, 11 *pietati fideique*. — 8, 19, 2 *fideliter atque oboedienter*; cf. [5, 3, 8 *dicto audiens atque oboediens*] et 1, 35, 5 *obsequio et observantia*. 8, 21, 4 *fidam et perpetuam*. || 42, 6, 8 *bono fidelique socio* ||. 43, 6, 12 *gratorum fideliumque*; cf. 41, 20, 12 *familiare oculis gratumque*. 45, 14, 1 *gratum bonumque*. — [1, 28, 4 *proditione ac perfidia*]. 3, 2, 4 *perfidia et periurio*. 1, 53, 4 *fraude ac dolo*. 2, 3, 1 *per dolum ac proditionem*. || 40, 39, 9 *scelus et perfidiam* ||; 55, 3 *fraude et insidiis*. 44, 26, 12 *perfidia et feritate*. — 1, 42, 2 *infida atque infesta*.

23) cf. 1, 33, 9 *ager finesque*. 45, 43, 4 *locis munimentisque*.

24) 2, 56, 5 *invisum infestumque*; cf. 4, 53, 9. 5, 8, 9. 3, 9, 10 *invisam intolerandamque*. [40, 12, 16 *execrabilis et invisus*; 15, 3 *criminibus et suspicionibus*. 41, 24, 18 *suspectos invisosque*; cf. 42, 42, 5 *et*]. 43, 4, 8 *invidiam infamiamque*. 44, 18, 4 *socii dubii suspensaeque fidei*. — 10, 44, 7 *pertinacius et infestius*.

25) 3, 9, 9 *superbe aut crudeliter*; cf. 44, 4. 8, 29, 3 *lascivia superbiaque*. 1, 5, 2 *lusum atque lasciviam*. [9, 34, 24 *pervicacia et superbia*; ibd. 15 *imperiosissima et superbissima*]. 42, 23, 5 *superbiam crudelitatemque et avaritiam*; 25, 8 *avaritiam superbiamque* ||; cf. 43, 2, 2. 42, 63, 1 *vim superbiamque*. 43, 4, 5 *crudelius avariusque*; 7, 8 *superbe, avare, crudeliter*. [45, 8, 6 *superbe ac violenter*].

26) 1, 10, 1 *lacrimis et querellis*; cf. 59, 4. 2, 40, 2 *precibus lacrimisque*; cf. 44, 31, 13. 45, 20, 10 *ac*. 2, 38, 1 *querendo indignandoque*. 54, 1 *senio et maerore*. 42, 28, 12 *luctus metusque*. 43, 4, 8 *flentes querentesque*. 44, 45, 11 *ingemuerat lacrimaveratque*.

27) 2,12, 14 *intactum inviolatumque*; cf. 13, 8. || 7, 20, 7 ||. 10, 14, 20 et 27, 9 *integer et intactus*; cf. 36, 3 *atque*. 5, 38, 6 *que*. [40, 11, 3 *integri et sinceri*]. 41, 28, 9 *salvom atque incolumem* (quod ex inscriptione affertur). 44,36, 2 *recenti atque integro*; [38, 8 *requietum, integrum*; ibd. 9 *recenti, requieto*]. 45, 5, 3 *augusti atque inviolati soli*; [39, 19 *nitens et integrum*]. — 4, 11, 7 *integritatis iustitiaeque*.

28) cf. || 3, 69, 5 ||. 8, 17, 1. 10, 10, 2 *intra moenia et muros*.

29) 1, 10, 3 *pro ardore iraque*. 3, 18, 9 *ardore impetuque*. 1, 11, 5 *nihil per*

agendoque[30]); 38, 5 *irae minarumque*[31]); 40, 1 *stupor silentiumque*[32]). 8, 29, 2 *prior potiorque*[33]). 40, 19, 4 *prodigiis cladibusque*; 37, 3 *fora conciliabulaque*[34]); [52, 6 *fractum subactumque*[35]); 55, 5 *tortoris verberumque*[36]). 41, 3, 10 *vino somnoque mersos*[37]); ‖ 7, 8 *prudenter fortiterque*[38]) ‖; 21, 11 *morbus pestilentiaque*. 42, 5, 3 *beneficiis muneribusque*[39]); 21, 5 *quaereret animadverteretque*[40]); 30, 1 *gentibus populisque*[41]); ‖ 50, 3 *diem tempusque*[42]) ‖. 45, 25, 2 *lenem mitemque*; simill.

§ 3 A. Quintam fere partem omnium exemplorum decadis I obtinet particula *ac*, quae in libris XL — XLV multo rarior est ibique tertium locum in particularum serie obtinet. Apud Livium illam regulam, qua *ac* ante litteras consonantes postulatur, omnibus in exemplis servatam videmus, cf. 1, 29, 4 *larem ac penates tectaque*[43]); ibd. 6 *excidio ac ruinis*[44]); 34, 6 *forti ac strenuo*[45]).

iram aut cupiditatem; cf. 12, 1. 2, 6, 1 *odio iraque*; cf. 22, 4. 3, 2, 11. 6, 40, 2. 9, 10, 6. 2, 29, 4 *clamoris atque irarum*; 58, 6 *ira indignatioque*; cf. 7, 7, 2 *atque*. 41, 4, 7 *et*. ‖ 6, 6, 11 *invidia et odio* ‖; 33, 4 *ira et rabies*; cf. 8, 30, 1; 6, 7 *ira impetuque*; cf. 3, 53, 1 *et*. 1, 17, 1 *certamen ac cupido*; 34, 1 *cupidine ac spe*; cf. 9, 16 *cupiditate atque amore*. 3, 44, 4 *pretio ac spe*; ‖ 66, 4 *irarum simultatiumque* ‖; [68, 5 *odia, offensiones simultatesque*. 5, 3, 4 *offensos ac concitatos*. 40, 8, 17 *spe et cupiditate*; 13, 6 *certamine et concursu*]. 41, 10, 2 *dolor et indignatio*; cf. adn. 31.

30) 4, 49, 12 *inritando agitandoque*.

31) cf. 2, 36, 6. 3, 9, 6 *minarum atque terroris*. 1, 14, 7 *tumultuoso et minaci*. [2, 40, 7 *infesto et minaci*]. 45, 11, 8 *acrius infestiusque*.

32) 1, 13, 4 *silentium et quies*. 3, 14, 5 *placidius aut quietius*. 9, 6, 12 *silens ac prope mutum*; 38, 14 *nocte silentio*. 10, 34, 10 *silentium ac solitudinem*.

33) 5, 12, 12 *primus ac potissimus*; cf. Woelfflin ad 21, 11, 6.

34) cf. ibd. 4. 43, 14, 10 *et*.

35) ‖ 42, 52, 10 *subacti atque durati bellis* ‖. 7, 15, 9 *devicti subactique*.

36) cf. 1, 26, 10 *verbera et cruciatus*.

37) 9, 18, 4 *inter vinum et epulas*.

38) 42, 30, 5 *optuma et prudentissima*; 49, 5 *prudentia et virtus*; cf. 40, 49, 7 *forti ac fideli*, quod synonymiae non subiunxi.

39) cf. 43, 6, 12 *munus officiumque*. 45, 20, 3 *honoribus muneribusque*.

40) cf. 40, 53, 6 *et*.

41) 45, 31, 3. 42, 51, 9 *tot populorum, tot gentium*. 45, 19, 1 *gentium et populorum*; [22, 8 *aut*]; 33, 4 *civitatibus et gentibus*.

42) cf. 2, 45, 2.

43) [2, 40, 7 *domus ac penates*; cf. 44, 39, 5]. ‖ 4, 15, 8 *tecta parietesque* ‖.

44) 5, 43, 3 *strage ac ruina*.

45) 3, 47, 2. 4, 3, 16; 5, 5 *et*; ‖ 35, 9 ‖. 5, 12, 8. [10, 8, 3]; cf. Wölffl. ad 21, 4, 4.

2, 2, 8 *novae ac subitae*[46]); 23, 3 *pallore ac macie*; 28, 1 *temere ac fortuito*[47]); 31, 11 *favore ac laudibus*[48]); 32, 9 *labore ac ministerio*[49]); 54, 8 *desertam ac proditam*[50]). 3, 9, 5 *libidinem ac licentiam*[51]); [7, 13, 6 *mancorum ac debilium*]; 27, 2 *amicitiam ac societatem*[52]); [30, 9 *acerbum ac miserum*[53]); ibd. 22 *sollicitis ac*

46) [3, 52, 9 *novam inexpertamque*]. 4, 14, 1 *novitate rei ac miraculo*; cf. 1, 47, 9. 4, 33, 1 *inaudita invisitataque*. [6, 40, 3 *neque novum neque inopinatum*]. 3, 26, 5 *inopinatum nec insperatum*. [40, 12, 8 *repentina et minime praeparata*: 11 *novo et singulari*; 15, 14 *repentino atque inopinato*]; 57, 1 *necopinatos ignarosque*. 41, 10, 3 *repentinus et tumultuarius*. 43, 1, 5 *novam et infirmam necdum satis munitam*.

47) 2, 31, 5 *forte temere*, cf. adn. Müll.; Woelffl. ad 21, 63, 9. [2, 37, 6 *inconsulte ac temere*]. 4, 37, 6 *temere ac neglegenter*; ibd. 8 *incaute inconsulteque*; 49, 11 *stolida ac prope vecors*. 5, 45, 2 *intuta neglectaque*. 8, 16, 5 *forte casu*; ‖ 25, 12 *stultitia et temeritate*. 42, 12, 7 *per incultum ac neglegentiam* ‖; 16, 5 *nec consulte et timide*; 49, 5 *inscitia et temeritate*. 44, 7, 1 *stultitia et segnitia*.

48) 2, 49, 5 *favore et admiratione*; ibd. 3 *fama et admiratione*. 4, 24, 7 *gratulatione ac favore*; 12, 8 *gratiam et gloriam*; 57, 6 *laudem gratiamque*. [5, 3, 9 *favere et indulgere*]. 9, 46, 13 *fautor et cultor*. 40, 46, 15 *comprobata et laudata*. 42, 13, 4 *favore ac benivolentia*. 45, 20, 3 *favore tantoque adsensu*.

49) cf. 40, 20, 4 *fraudis ministri et participes*.

50) cf. 57, 4. [9, 4, 14]. 3, 7, 3 *vasto ac deserto agro*; cf. 4, 39, 9. ‖ 4, 43, 9 *desertam omissamque* ‖. [5, 6, 14 *qui relinquit aut decedit*; ibd. *relinquendi et deserendi*]; ‖ 30,3 *desertam ac relictam* ‖. 8, 9, 12 *fugam ac vastitatem*.

51) [3, 21, 5 *levitatis ac licentiae*; cf. ibd. *levius vaniusque*]; 36, 7 *lubidinose crudeliterque*; praef. 12 *luxum et libidinem*; cf. adn. Weißenb. et M. Müll. ‖ 45, 36, 8 *licentiae atque avaritiae* ‖.

52) cf. 5, 35, 4 *ve*. 7, 29, 3; [31, 2 *ac*]; ibd. 9. 9, 36, 7. 4, 7, 4 *foedere atque amicitia*; ‖ 5, 5 *in consortio, in societate rei p.* 9,3,10 *pacem amicitiamque* ‖. [41, 23, 18 *amicitia et commercium*]; 24, 15 *novae societatis aut novi foederis*. 42, 6, 8 *societas atque amicitia*; cf. ‖ 12, 8 ‖; 19, 6 *que*; ‖ 25, 12 *a. et s.* ‖. — [7, 30, 4 *amici sociique*]. 45, 20, 8. [7, 30, 23 *sociis atque amicis*; cf. 31, 3]. 5, 35, 5. 8, 23, 8. 40, 17, 5. 41, 24, 9. [42, 13, 6; 40, 5]. ‖ 43, 8, 6 ‖. 45, 12, 6; 20, 8 *et*. 44, 19. 14 *non pro amico nec pro socio*. — Cf. adn. 16.

53) 2, 19, 5 *gravius atque atrocius*; 30, 1 *horrida et atrox*; 50, 3 *acerbum indignumque*. ‖ 3. 72, 7 *foedius atque acerbius* ‖. 5. 13, 4 *gravis pestilensque*; [53, 4 *misera ac turpis*]. ‖ 10, 24, 12 *asperum ac difficile* ‖. [40, 46, 5 *graves et atroces*]. 42, 17, 6 *difficultatis et periculi*: 18, 4 *periculosa et difficili*; 28. 11 *gravi et periculoso*. 43, 16, 1 *tristis atque aspera*. 44, 25, 4 *incommodo ac difficili*; [39, 6 *difficultatibus et impedimentis*]. 45, 3, 5 *grave et incommodum*; [23, 17 *miserabilis ac supplex*]; ‖ 36, 4 *horridiorem asperioremque* ‖. — 5, 26, 5 *asperis confragosisque viis*. 42, 16, 1 *per invia atque ardua*. 44, 3, 3 *ardua et aspera et confragosa*. — 41, 27, 13 *diligens et severa*. [45, 37, 9 *acerbius et diligentius*; ibd. *severius et in-*

pendentibus animis[54]. 40, 14, 5 *malus ac suspicax*[55])]. ‖ 41, 7, 10 *ad mare ac naves fugisse* ‖; 16, 9 *virtute ac felicitate*[56]; 21, 11 *ferias ac supplicationem.* ‖ 42, 25, 8 *multum ac diu*[57] ‖; 26, 1 *comprimi ac sedari*[58]: 43, 9 *nobilis ac potens*[59]. 44, 8, 5 *disiecta ac vastata*; 36, 10 *labore ac periculo*[60] rell.

§ 3 B. In decima fere parte omnium exemplorum atque semper ante vocalem invenitur *atque* coniunctio: 1, 8, 5 *obscurum atque humilem*[61]; 12, 7 *resistere atque iterare pugnam*; 33, 2 *Capitolium atque arcem*, cf. adn. Mülleri ad 2, 7, 10. 2, 23, 13 *eludi atque extrahi*[62]. 3, 9, 4 *soluti atque effrenati*[63]. 4, 3, 5 *repetimus atque usurpamus*[64]; 8, 2 *nutu atque arbitrio*[65]; 30, 10 *peregrina atque insolita*: ‖ 35, 7 *emolumentum atque honos*[66]; 41, 3 *animis atque*

tentius]. — ‖ 5, 2, 9 *saevam ac trucem* ‖. 9, 18, 5 *trux et praefervida.* — 2, 43, 11 *inritato exacerbatoque.* 6, 18, 5 *inflatus exacerbatusque.* 45, 35, 8 *prensando et sollicitando.*

54) [40, 15, 2 *dubiam et sollicitam*]; cf. 42, 16, 3 *exigua ac prope nulla spes.*

55) [45, 39, 16 *maledice et maligne*].

56) cf. [7, 40, 14 *bene atque honeste.* 40, 46, 9 *bene et feliciter*]. 2, 3, 4 *salubriorem melioremque.* 43, 7, 3 *bene ac naviter.* 45, 13, 7 *boni commodique.* — Cf. [42, 41, 14 *plus aequo et bono.* 9, 3, 2 *aequa et plana*]. 45, 14, 1 *gratum bonumque.*

57) cf. 45, 13, 15 *auctum et multiplicatum.*

58) cf. 2, 54, 5 *captum et oppressum.* 4, 46, 5 *oppressi obtruncatique.*

59) cf. 43, 2, 11; 8, 2 *graviores potentioresque.* — 4, 45, 7 *ingratam ignobilemque.*

60) cf. 10, 10, 12. 17, 10. 44, 41, 1 *que.* ‖ 45, 36, 3 *plus periculi, plus laboris.* 2, 32, 9 *labore ac ministerio* ‖. 3, 5, 4 *curae aut laboris.* 45, 23, 4 *crimen et periculum.* [41, 23, 18 *periculosum et immaturum*]. — 2, 24, 8 *virtus atque opera.* [3, 68, 5 *virtute innocentiaque*]; ‖ 19, 5 *virtutem, constantiam.* 9, 6, 13 *virtutem ferociamque.* 40, 39, 9 *non virtutem nec animum.* — 5, 2, 7 *in opere ac labore* ‖; cf. 6, 1, 6. 7, 34, 12 *opere valloque.* 9, 2, 14 *opera laboremque*; [4, 8 *ad opera ac muniendum*].

61) cf. [40, 27, 13 *abditum et latentem*]. — 9, 2, 6 *patens apertaque.*

62) 9, 6, 2 *exprobrantes eludentesque.* 2, 52, 7 *refutando exprobrandoque.*

63) [8, 32, 5 *solutus ac liber*; cf. 7, 30, 23 *lucem ac libertatem*]; cf. ‖ 6, 17, 2 ‖.

64) 6, 34, 4 *capessendos petendosque.*

65) ‖ 3, 63, 9 *aestimationem arbitriumque* ‖. 2, 33, 11 *interpreti arbitroque*; cf. 10, 19, 14 *ductu aut imperio.* [9, 34, 1 *fasces et imperium*]. ‖ 42, 25, 8 *ad nutum imperiumque* ‖; cf. 44, 33, 5 et adn. 75.

66) cf. adn. 15 et 48. 1, 39, 6 *in caritate atque honore.* 3, 61, 7 *honore atque ordine.* 4, 12, 8 *gratiam et gloriam.* 5, 25, 3 *dignitatibus et honoribus.* ‖ 10, 24, 14 *honores praemiaque* ‖. 45, 14, 1 *pretium honoremque*; ‖ 36, 3 *in praemiis, in honoribus* ‖; [22, 2 *atque*].

ingeniis[67]) || ; 60, 2 *corpus addictum atque operatum rei p.* [5, 18, 5 *effigiem atque imaginem*]; 42, 7 *onerati atque obruti*[68]). 9, 31, 4 *ditissimum atque opulentissimum*[69]). || 10, 11, 13 *vim atque iniuriam*[70]); 19, 7 *muto atque elingui*; 24, 12 *supervacaneo atque inutili* || ; 35, 10 *nudus atque inermis.* [40, 9, 1 *latro atque insidiator*]. || 42, 11, 6 *arte atque usu belli*[71]) || ; 63, 2 *deteriori atque infirmiori.* 45, 37, 12 *vetera atque audita a parentibus*] simill.[72]).

§ 4. Nunc disputemus de *et* particula, quae in dec. I paulo rarius legitur quam *ac*, cum in decadis V libris primum obtineat locum: 2, 28, 4 *dispersam et dissipatam*[73]); 56, 8 *vexandam et lacerandam*[74]). 3, 1, 4 *ductu et auspicio*[75]); 2, 11 *audere et experiri*[76]);

---

[67]) 1, 59, 8 *pectoris ingeniique.* [3, 62, 3 *consilii animique*]. 9, 2, 11 *mentis ac consilii.*

[68]) || 6, 17, 2 *mersam et obrutam* ||. 42, 1, 8 *oneri aut sumptui*; [13, 12 *liberata atque exonerata*]. 43, 17, 3 *oneribus inpensisque.* 45, 3, 5 *sumptuosumac damnosum.*

[69]) 1, 3, 3 *florentem atque opulentam.*

[70]) cf. [7, 31, 3]. 8, 33, 4; 37, 4. || 10, 11, 13 ||; 45, 5; 34, 1 *vi atque impetu.* 1, 19, 1 *vi et armis*; cf. 21, 1. 10, 17, 3. 45, 11, 10. || 42, 23, 2 *atque* ||; cf. adn. 13 et 43, 1, 2. 2, 2, 3 *scelere ac vi*; 7, 7 *maiestatem vimque.* 3, 11, 6 *corporis magnitudine et viribus.* 6, 19, 5 *vim et caedem.* 7, 20, 5 *vis ac necessitas.* 40, 58, 2 *vim ac multitudinem.* 41, 22, 6 *sine damno iniuriaque.* || 42, 11, 6 *robore ac viribus* ||; 51, 4 *viribus et robore*; 63, 1 *vim superbiamque*; 65, 6 *numero et viribus.* — Cf. 40, 17, 3 *ferro et acie.*

[71]) cf. 4, 25, 12 *ambitione artibusque.*

[72]) De allitteratione quadam, quae ipsa *atque* particula effici videtur, posteriore loco agetur (c. XXXIV § 5 extr.).

[73]) 42, 64, 10 *sparsos ac dissipatos.*

[74]) 2, 57, 3 *distractam laceratamque.* 42, 8, 5 *laceratos ac deletos.* 43, 2, 2 *spoliari vexarique.*

[75]) cf. 17, 2. || 10, 7, 7 ||. Multo saepius legitur hoc exemplum particula *que* coniunctum: 5, 46, 6; 49, 6. || 7, 32, 10 ||; [40, 6]. 8, 12, 1; || 31, 1 ||. 10, 18, 1. 41, 17, 3; 19, 2; 28, 1. || 8, 33, 22 *ductu auspiciisque* ||. 3, 42, 2 *atque*; cf. 6, 12, 6. 10, 9, 14 *aut.* 40, 52, 5 *auspicio, imperio, felicitate ductuque eius* (quod ex inscriptione affertur). 41, 2, 8 *nec imperio nec auctoritate nec precibus*; 6, 12 *sub imperio et tutela*; 28, 8 *imperio auspicioque* (ex inscriptione quadam). 42, 49, 3 *imperio consilioque*; cf. || 50, 5 *regna et imperia* ||. — Cf. adn. 20.

[76]) 1, 12, 2 *animo atque audacia.* 3, 11, 4 *temeritati audaciaeque*; cf. || 4, 2, 11 ||. 42, 5, 11 *atque.* 3, 12, 7 *fervorem et audaciam.* 8, 33, 17 *temeritate atque inscitia* ||. — Cf. adn. 47.

10, 12 *exilio et relegatione*[77]; 12, 6 *suadere et monere*[78]. [6, 16, 2 *vinclis et catenis*[79]. 8, 4, 12 *clamore et adsensu*[80]]; 30, 11 *victam et eversam*; 34, 10 *sollemni et sacrata*[81]; 35, 1 *preces et obtestationem*[82]. 40, 1, 4 *luxuria et otio*; 7, 5 *simplicitate et hilaritate*[83]; [8, 17 *vivo et spirante me*; 10, 2 *misericordia et iustitia*[84]; 13, 4 *lustratus et expiatus*]; 15, 11 *convivio et comisatione*[85]; 20, 6 *mentione et contagione*; [27, 13 *obsidet et oppugnat*[86]; 56, 5 *perire et extingui*; 9 *species et umbrae*[87]. 41, 23, 8 *subrui et temptari*[88]; ibd. *aspernentur et refugiant*]. 42, 12, 6 *augustissimo et celeberrimo*; [13, 1 *comperta et explorata*[89]; ibd. 2 *amplum et egregium*[90]; ibd.

77) cf. || 5, 2, 4 *remotam et ablegatam* ||.

78) 2, 10, 4 *monere, praedicere*; 54, 4 *suadent, monent.* || 3, 56, 11 *appellare et monere* ||; cf. 39, 3. 4, 38, 1 *obiurgante atque hortante*; 48, 11 *suadendo, monendo pollicendoque.* 9, 22, 6 *orando hortandoque.* 3, 52, 11 *orant ac monent*; 58, 1 *prensabat orabatque.* 10, 5, 3 *urgent hortanturque*; 19, 5 *monendo obtestandoque*; 35, 11 *iurganti increpantique.* [40, 46, 1 *admoneri et regi*]. || 42, 12, 3 *precanti atque oranti* ||. 45, 36, 3 *referendo admonendoque.* — 2, 41, 7 *dissuasor et intercessor.* — Cf. 42, 14, 2 *defensio et deprecatio.* [40, 9, 7 *voce et comploratione.* 3, 68, 4 *vocis verborumque*].

79) 6, 14, 4 *in servitutem ac vincula.*

80) 1, 41, 1 *clamor concursusque*; cf. 2, 12, 8 *concursu ad clamorem facto.* 3, 3, 4 *cursus clamorque*, cf. 42, 58, 4 *et.* 3, 54, 10 *adsensus alacritasque.* 4, 53, 12 *plausu et adsensu.* 1, 41, 4 *clamor impetusque.* 2, 27, 8 *strepitu et clamore*; cf. 29, 5. || 4, 41, 5 ||. 44, 4, 9. 2, 65, 2 *clamare et poscere.* 4, 50, 2 *clamor et iurgium*; 59, 5 *clamore ac tumultu*; cf. 9, 31, 8. 5, 37, 8 *cantu clamoribusque*; 39, 5 *ululatus cantusque.* 8, 33, 2 *strepitu ac tumultu.* 9, 7, 4 *clamores gemitusque.* 44, 37, 9 *clamor ululatusque.* — Cf. 1, 16, 1 *fragore tonitribusque.* 2, 64, 11 *fremitus hinnitusque.*

81) || 5, 11, 15 *execratus detestatusque* ||. 10, 41, 3 *dira execratio ac furiale carmen detestandae familiae stirpique compositum.*

82) 2, 10, 3 *obsistens obtestansque*; cf. 10, 19, 2. 8, 33, 23 *haec simul iurgans, querens, deum hominumque fidem obtestans.* [9, 8, 8 *precor quaesoque.* 42, 42, 9 *querella et expostulatione*]. — Cf. adn. 78.

83) [40, 8, 10 *puerilis simplicitatis consuetudinisque*].

84) 3, 56, 10 *aequitate et misericordia.* [42, 42, 9 *clementiae gravitatisque*]. 44, 31, 1 *clementia et iustitia.*

85) 1, 57, 5 *conviviis comisationibusque.*

86) cf. 2, 9, 7 *obsidione ac fame.*

87) cf. 1, 9, 12 *specie ac pulchritudine*; 45, 4 *magnitudine ac specie.*

88) cf. [40, 9, 9 *moliris et temptas*]. 41, 24, 2 *temptari et oppugnari*; ibd. *neque temptat neque oppugnat.*

89) || 42, 25, 5 *vera et comperta* ||.

90) 42, 3, 1 *amplius aut magnificentius*; 61, 3 *ampla laetaque.*

10 *quiescentibus et patientibus*[91])]; 14, 3 *velle et laborare*; 15, 3 *auctoritate et opibus*[92]); [42, 8 *corrigi et emendari*]; 43, 8 *coetum et concilium*[93]). [44, 22, 12 *prudentibus et . . . peritis et usu doctis*]: ‖ 34, 2 *providere et consulere* ‖ . 45, 30, 4 *fertilem et frugiferam*[94]); [37, 8 *togatam et urbanam*; 38, 7 *domicilium et sedem*] etc.

§ 5. Nunc persequar ea synonymiae exempla[95]), quae vel aliis coniunctionibus vel asyndeto formantur: ‖ 2, 3, 4 *nihil laxamenti nec veniae* ‖ ; 28, 5 *nihil segnius molliusve*[96]). 3, 19, 10 *neque sacri neque sancti*[97]). 4, 4, 5 *maior aut insignitior*[98]); ibd. 7 *non genere nec sanguine*[99]); 13, 14 *damno dedecorive*[100]). [6. 40. 4 *neque nego neque infitias eo*][101]). 7, 20, 2 *nec arma aut bellum*: cf. adn. 13 et 70; ‖ 6, 11 *nec ius nec fas*. 2, 3, 4 *leges rem sur-*

---

91) cf. 41, 12. 1, 13, 4 *silentium et quies*. 3, 14, 5 *placidius aut quietius*.

92) [40, 11, 2 *auctor et magister*; 12, 17 *auctoritate et consiliis*; 14, 8 *auctore et sciente*]; 53, 6 *principes et auctores*. ‖ 43, 14, 4 *vis imperii et auctoritas* ‖; 22, 11 *gratiam auctoritatemque*. 44, 33, 4 *famae et auctoritatis*.

93) 2, 38, 4 *que*; 35, 4 *coitionibus conciliisque*. 44, 45, 6 *consilium et consensum*. ‖ 45, 19, 12 *consensu et concordia* ‖ .

94) praef. 10. *salubre ac frugiferum*.

95) Exempla, quae huic paragrapho attribuantur, non multo rariora sunt quam exempla, quae *atque* particula formantur: videtur autem asyndeton in posterioribus libris paulo inveniri crebrius quam in prioribus.

96) [5, 5, 1 *molliter et per dilationes*; 6, 5 *mollitiae inertiaeque*]. 6, 37, 8 *socordius aut segnius*. 40, 27, 1 *que*.

97) cf. 1, 20, 3 *venerabiles ac sanctas*. 8, 34, 10 *sollemni et sacrata militia*. [40, 8, 18 *nihil cari, nihil sancti*].

98) 1, 7, 9 *ampliorem augustioremque*; 28, 4 *maior atque periculosior*; 34, 9 *excelsa et alta*. 4, 2, 4 *auctiorem amplioremque*; 19, 1 *maius auctiusque*. ‖ 7, 11, 11 *mirum magnumque* ‖ . [9, 34, 11 *praecipuum ac singulare*]. 10, 37, 4 *clarior maiorque*; cf. adn. 5. [41, 23, 6 *maximam gravissimamque*].

99) 1, 9, 4 *ac*; cf. 45, 7, 3. 2, 6, 4 *nomen ac cognatio*; 45, 4 *generis originisque*. ‖ 3, 58, 4 *generi ac nomini* ‖ . 5, 11, 1 *nomini ac familiae*; ‖ 17, 9 *sanguini nominique* ‖ . 6, 20, 2 *cognatos aut adfines*. — 1, 25, 5 *vulnera et sanguis*; 13, 3 *vulnerum ac caedium*; cf. 41, 3, 3 *et*. 1, 48, 7 *sanguinis ac caedis*; 9, 13, 5. 2, 64, 5 *ingenti caede, plurimo sanguine*. ‖ 6, 14, 8 *corporis vitaeque et sanguinis* ‖ ; 19, 5 *vim et caedem*. 10, 28, 16 *caedem ac cruorem*; cf. ‖ 6, 17, 4 *sudoris ac sanguinis* ‖ .

100) 2, 43, 8 *flagitium et dedecus*; 52, 5 *ignominiam aegritudinemque*; 53, 6 *calamitatis contumeliaeque*. 10, 35, 13 *contumeliam ignominiamque*. ‖ 42, 50, 8 *contemptu atque inopia* ‖ . 44, 25, 9 *turpem ac sordidam mercedem*.

101) cf. 41, 24, 3 *omnia scit et nuntiat*.

dam inexorabilem esse; 6, 2 *extorrem egentem* ‖ [102]. 3, 9, 4 *immoderata, infinita potestate* [103]. [40, 10, 1 *discerne dispice*]; 56, 3 *pudendum aut paenitendum* [104]. 43, 16, 2 *vectigalia aut tributa* [105]. [44, 38, 8 *plenum virium, vigentem et corpore et animo*; cf. adn. 70] etc.

§ 6. Insigniora videntur praeter nonnulla, quae supra allata invenisti (*τρίκωλα* etc.): 1. 17, 10 *bonum faustum felixque*; cf. [28, 7]. ‖ 3, 34, 2 ‖; [54, 8. 10, 8, 12]. 42, 30, 10; ἀσυνδέτως legitur ‖ 8, 25, 10 ‖. 2, 49, 7 *faustum atque felix*. 1, 19, 1 *iure legibusque ac moribus* [106]; 29, 3 *silentium triste ac tacita maestitia* [107]; 32, 13 *censuit, consensit, conscivit* [108]. 3, 14, 3 *auxere iras, non minuere animos*. [6, 41, 4 *bello ac pace, domi militiaeque*]. 7, 12, 13 *eximium imperatorem, unicum ducem*. [8, 9, 7 *precor, veneror veniam peto oroque* [109]. 40, 12, 7 *spei, voluntatis, consiliorum* [110]].

§ 7. Sed haec hactenus: largior fui in exemplis afferendis propterea, quod nisi hoc modo non satis exponi posse et demonstrari videtur ubertas atque varietas sermonis Liviani, quod ad vocabula similia attinet. Numerum exemplorum in singulis libris exstantium si quaerimus, certum videtur in dec. V atque in libris I, II, III eum maiorem esse quam in ceteris. Nonnunquam membra synonymiae allitteratione ornari facile cognosci potest, sed differentia quaedam invenitur inter singulas coniunctiones. In prima enim decade saepissime omnium legimus allitterationem,

---

102) cf. adn. Weißenb. ‖ 5, 30, 6 *exsulem extorrem* ‖. 8, 26, 5 *spoliati atque egentes*.

103) 1, 48, 9 *mite ac moderate*. 2, 18, 6 *moderatorem et magistrum*; 30, 1 *medium et moderatum*. 3, 19, 3 *consilium et modum*. 4, 45, 8 *consideratius concordiusque*; 51, 3 *moderatione ac lenitate*. 6, 27, 1 *patientia et moderatione*. 41,23, 4 *moderate et benigne*; cf. adn. 16. — Cf. 40, 46, 15 *remittere ac finire*.

104) cf. 45, 10, 11 *non minus puderet quam paeniteret*; 39, 18 *que*.

105) cf. ibd. 7.

106) 1, 48, 8 *iusta ac legitima*. ‖ 4, 15, 3 *inter iura legesque* ‖. 1, 32, 2 *mores atque instituta*. 45, 28, 4 *disciplina institutisque*. 4, 8, 2 *morum disciplinaeque*. 40, 16, 2 *vitam ac mores*.

107) 6, 40, 1 *stupor silentiumque*. ‖ 9, 6, 11 *silens ac prope mutum* ‖. 10, 34, 10 *silentium ac solitudinem*; cf. 1, 16, 2 *serena et tranquilla lux*; 18, 4 *tetrica ac tristi*. 3, 8, 7 *tuta ac tranquilla*. 8, 14, 10 *tuta pacataque*. 45, 18, 2 *tutam perpetuaque sub tutela*. 42, 16, 9 *dissimulare et tacita habere et pati*.

108) 1, 32, 12 *consentio consciscoque*.

109) cf. 3, 9, 10 *placatam reconciliatamque*.

110) 1, 34, 10 *spes cogitationesque*.

cum partes artissime, i. e. particula *que* coniunguntur neque ullo modo dirimuntur; paulo rarior est *atque* particula; sequuntur *ac*, *et*, asyndeta. In libris XL sqq. allitteratio in synonymia rarius adhibita videtur atque difficilius est certe iudicare de singulis coniunctionibus, sed, ni fallor, *et* plurima exempla allitterationis praebet[111]). Si summam huius capitis facimus, dicendum erit Livium circumlocutionem summo cum studio excoluisse et dilexisse neque tamen eum nimio amore in vitium nimiae ubertatis incidisse, sed maxime eum esse laudandum, quod formulas, quas priore aliquo loco usurpaverat, iterum atque saepius variavit. Inter orationes et narrationem maiores differentiae in prima quidem decade intercedere non videntur, id quod de quintae libris vix negari potest.

Ea exempla, quae supra πλεονασμῷ (cf. adn. 3) attribui, in synonymiae arte aestimanda removi, cum minoris momenti sint neque secundum artis rhetoricae praecepta sint formata.

Sed cum satis de synonymia me fecisse verborum putem, proficiscamur ad aliam formam repetitionis, quae

XXV. Polysyndeton[1])

nominatur et est *oratio nexa multis coniunctionibus*[2]) vel *coniunctionis praecipue copulativae redundantia*[3]). Hanc figuram saepe in Livii libris invenimus, nam cum vim totius enuntiati auget, tum efficit, ut tardius serpat oratio tota, ita ut rem unamquamque solam

[111]) Liceat hoc loco aliquid breviter praeoccupare atque indicare allitterationis apud synonymiam usu Woelfflini sententiam de hac figura, quam falsam esse suo loco demonstrabimus, attenuari posse. Affirmat enim vir doctissimus allitterationem nisi in vocabulis coordinatis fere exsistere non posse. In synonymia igitur plurima exempla reperiremus, si satis Woelfflini sententia probata esset. Sed quam pauca pro rata parte inveniantur, quis non videt? Sunt enim haec non nona quidem pars omnium exemplorum. Contra multa iam in anaphora invenimus, quae magis aures legentium offendunt, quamquam non coordinate sunt dicta. Quae cum ita sint, quin posteriore loco aliam sententiam muniamus, facere non poterimus.

c. XXV. adn. [1]) Straub 118. Volkm. 474. Groß 178. Dzial. 14. Gerb. II 1, 211. Kühnast 287. Petzke 63.

[2]) Thomae Ruddimanni Institutiones grammaticae Latinae, Lips. 1833, II 2, 371.

[3]) Beda H. 611.

diligentius respicere possimus. Illam quoque huc traxi iuncturam duarum coniunctionum *et-et*, si notionem „sowohl — als auch" non habet, sed adhibetur ad tria membra orationis sive narrationis coniungenda. Sed tota huius figurae ratio cum simplicior sit, quam quae ut longius de hac re disseram postulet, iam transeamus ad exempla perlustranda.

Natura fit, ut polysyndeton duorum vocabulorum longe sit frequentissimum, tertiam fere partem eius exhibent polysyndeta trium membrorum: rarius — sunt autem haec tertia vel quinta decima pars omnium exemplorum — quattuor coniunctiones exstant. Quinque coniunctiones quinquies in dec. I, in V quater inveni; praeterea insigniora esse haec videntur: 1, 4, 3 *nec di nec homines aut ipsam aut stirpem*; 20, 7 *nec modo — sed quoque — que — que — ve — atque*; 47, 4 *que — et — et — et — et — que.* 3, 54, 11 sq. *primum —, inde — et —, tum — et.* 4, 47, 8 *et* sexies, 5, 10, 2 septies dicitur. ‖ 5, 2, 12 *ac — et — que — ac — et — et* ‖. 7, 6, 4 *et* (emend. Madvig) — *que — et — que — que — ac — ac — que.* 9, 19, 4 *Latium deinde omne cum Sabinis et Volscis et Aequis et omni Campania et parte Umbriae Etruriaeque et Picentibus et Marsis Paelignisque ac Vestinis atque Apulis . . . et Cumas et inde Antio atque Ostiis tenus aut socios validos Romanis aut fractos bello invenisset* (sc. Alexander) *hostes.* 10, 41, 3 *in oculis erat omnis ille occulti apparatus sacri et armati sacerdotes et promiscua hominum pecudumque strages et respersae fando nefandoque sanguine arae et dira execratio ac furiale carmen detestandae familiae stirpique compositum.* 40, 51, 5 *et* sexies, 41, 21, 12 septies, 27, 11 novies legitur. 45, 44, 5 *que — que — et — et — que — que — et.*

Nonnunquam fit, ut post asyndeton, de quo statim agetur, polysyndeton adhibeatur, cf. 8, 34, 2 *et* (quater) et [10, 7, 9 *viros quos sellis curulibus, toga praetexta, tunica palmata et toga picta et corona triumphali laureaque honoraritis*, cf. adn. Weißenb.].

Quibus expositis dicendum est inter singulos libros decadis I et V uno excepto maiorem differentiam non inveniri[4]), quod ad polysyndeti figuram attinet. Cui contrarium est

---

[4]) Multo aliter res se habere videtur in libro XLV, qui multo magis coniunctionum multitudine ornatus est ceteris. Orationes quoque huius libri hac re excellunt, id quod si Ciceronem eloquentissimum Romanorum spec-

XXVI. Asyndeton[1]),

§ 1. quod et dissolutum vel *διάλυσις* nominatur, quod demptis coniunctionibus dissolute nonnulla membra dicuntur[2]). Asyndeti usum cum apud veteres tum apud eos, qui fuerunt inde a Traiani imperatoris aetate, crebriorem fuisse recte monet Norden p. 33. Distribuitur autem haec figura vulgo in asyndeton enumerativum, summativum, adversativum, explicativum, quorum enumerativum asyndeton est frequentissimum; quod sequitur adversativum: cetera multo rariora sunt. Sed cum multa exempla dissoluti sunt parvi momenti tum multa asyndeta binorum vocabulorum; quae cum ita sint, magna in re explananda exoreretur difficultas, si totam asyndeti rationem atque vim exponere studeremus, qua re liceat in hoc quoque capite summatim et nonnullorum exemplorum ope rem absolvere[3]), etsi digna videtur, quae propria dissertatione accuratius pervestigetur.

---

tamus, commemoratione dignum est, cum is hanc figuram excoluisse non videatur. Straubius quoque in hac quidem figura nisi ex Demosthene exempla fere non affert. Si exempla duorum tantum membrorum neglegimus, in prima oratione secundae quae dicitur actionis in Verrem decem circiter, in Philippica I ne hunc quidem numerum inveni. Neque tamen frequentior polysyndeti usus Livio est vitio tribuendus, nam, ut iam supra diximus, gravior vis et maius pondus in rebus enarrandis hac figura certe efficitur.

c. XXVI adn. [1]) Straub 119. Volkm. 473. Groß 170. Dzial. 14. Gerb. II 1, 218. Nägelsbach 559. Draeger, Synt. des Tacitus 54; Hist. Synt. II, 186. Goßrau 595. Kühnast 284. Moczyński I, 22. Müller ad 1, 2, 2; 14, 4; 32, 11; 46, 1; 2, 36, 2. Weißenb. ad 1, 3, 11; 12, 10 etc. Luterb. ad 4, 4, 2; 2, 6 rell. Drakenborch, edit. Stuttgardiae 1821, ad 3, 68, 4 et 4, 3, 12. Wichert, Die lateinische Stillehre, Königsberg 1856, p. 452. Woelfflin, Livianische Kritik und livianischer Sprachgebrauch, Berlin 1864, p. 9 et Phil. 25 (1866), 95; cf. Arch. f. l. L. XII (1902), 27. Madvig, Emendationes Livianae, Hauniae 1877, p. 67. Siegm. Preuß, De bimembris dissoluti apud scriptores Romanos usu solemni, progr. Edenkoben 1881; cf. Schmalz, Phil. Rdsch. I (1881), 1053. C. H. Lehmann, Quaestiones Tullianae I, Lips. 1886, p. 23. E. Eichner, Zur deutsch-lateinischen Stillehre I: Die wegfallenden deutschen Wendungen und Wörter, progr. Inowrazlaw 1886, p. 31 sqq.; cf. W. Kalb, Das Juristenlatein, Erlangen 1887, p. 25. Norden, De Minucii Felicis aetate et genere dicendi. Ind. lectt. Gryphisw. 1897, p. 29. Altenburg, Jahrb. f. kl. Ph. Suppl. 24 (1898), 495.

[2]) cf. auct. ad Heren. 4, 30, 41. Quint. 9, 3, 30.

[3]) Quod eo facilius fieri potest, quod omnes fere viri docti, qui Livii

§ 2. Sed priusquam ad rem ipsam aggrediamur, eas removeamus asyndeti formas, quae nomina propria atque imprimis magistratuum complectuntur, quae pro portione apud auctorem, qui res gestas Romanorum narrat, multo numerosiora sunt, quam apud oratorem aliquem. Sunt autem haec talia: 10, 1, 1 *L. Genucio Ser. Cornelio consulibus*; 9, 2 *pontifices creantur suasor legis P. Decius Mus, P. Sempronius Sophus, C. Marcius Rutilus, M. Livius Denter*; 21, 12 *quattuor gentes conferre arma Etruscos, Samnites, Umbros, Gallos*; etc. etc.

§ 3. In exemplis afferendis neglectis illis quattuor generibus, quae supra commemoravimus, cum satis certe nostra quoque ratione exemplorum describendorum possint perspici, eo tenebimur ordine, ut agamus

I. de sententiarum asyndetis: 1, 2, 2 *neutra acies laeta ex eo certamine abiit: victi Rutuli, victores Aborigines Troianique ducem Latinum amisere*; 46, 7 *contrahit celeriter similitudo eos, ut fere fit: malum malo aptissimum*. [5, 4, 12 sq. *scilicet, quia levis causa belli est nec satis quicquam iusti doloris est, quod nos ad perseverandum stimulet: septies rebellarunt; in pace nunquam fida fuerunt; agros nostros milies depopulati sunt; Fidenates deficere a nobis coegerunt; colonos nostros interfecerunt; auctores fuere contra ius caedis impiae legatorum nostrorum; Etruriam* e. q. s.]. || 8, 33, 20 *quam conveniens esse propter Q. Fabium civitatem in laetitia, victoria . . . esse, cum propter quem deum delubra pateant, arae sacrificiis fument . . ., nudatum virgis lacerari* || .[40, 5, 12 *proditorem nolo dicere, certe speculatorem habemus in sinu*]. 44, 13, 10 *Eumenes ad consulem navigat; gratulatus, quod prospere Macedoniam intrasset, Pergamum in regnum abiit*[4]); simill.

II. de singulorum vocabulorum asyndetis atque eis, quae quamquam compluribus vocibus tamen non sententiis formantur; qua in re duo genera sunt discernenda:

a. asyndeton verbale: [1, 16, 7 *abi, nuntia* cf. adn. Weissenb.]; 28, 7 *populum Albanum Romam traducere in animo est, civitatem dare plebi, primores in patres legere, unam urbem . . . .*

---

libris edendis operam dederunt, iterum atque saepius de huius figurae usu pauca adscripserunt.

4) Asyndeto, quod graviter sentitur, celeritatem depingi Eumenis adnotat Weißenborn.

facere]; ‖ 50, 6 *quippe qui trucidentur, exulatum eant, bona amittant* ‖. 10, 1, 9 *quam consul voverat, censor locaverat.* ‖ 43, 4, 10 *audisse oppidum expugnatum, principes securi percussos, sub corona ceteros venisse* ‖. 45, 3, 1 *exercitum Illyriorum caesum. Gentium regem captum, in dicione populi Romani et Illyricum esse.* — Hoc genus satis raro invenitur, quod asyndeta verbalia saepissime cum sententiarum asyndetis cohaerent.

b. asyndeton nominale, quod frequentissimum est: [1, 38, 2 *deditisne vos populumque Conlatinum, urbem, agros, aquam, terminos, delubra, utensilia*]. 2, 47, 10 *familia funesta Q. Fabi fratris morte, re publica ex parte orba, consule altero amisso.* 4, 12, 6 *clade ac periculo insignis, seditionibus, fame, regno prope . . . accepto.* 7, 33, 13 *atrox caedes . . . fuga ab nulladum parte erat.* 41, 2, 8 *quidam armati, maior pars inermes*; 3, 1 *terra mari trepidatur.* 42, 30, 9 *victoriam, triumphum, propagationem finium portendi*; 64, 4 *simulque in vallo, ad portas miles instructus erat*; simill.

§ 4. Livium saepius asyndeton adhibuisse quam polysyndeton certum est, quod mirum non videtur, cum asyndeton aptissimum sit ad rem breviter et celeriter exponendam neque minus ad scribendas orationes[5]), quod affectibus maxime accommodatum praebeat sermonem; quae cum ita sint, in orationibus satis frequenter, nonnunquam paulo etiam crebrius quam in simplici narratione asyndeta inveniuntur.

Sequitur

XXVII. Disiunctio[1]),

quae a Graecis *διεζευγμένον* vel *πλεονασμός* vel *ὑπόζευξις* vel *συνωνυμία* nominatur. Est autem disiunctio, cum enuntiatum unum divellitur in complures partes, quarum singulae suum habent proprium verbum finitum, ut aut plane per se exsistere possint aut vinculis alterius sententiae leviter tantum contineantur. Natura fit, ut haec ipsa verba, quibus disiunctio efficitur, non dissimilia

[5]) Quo commotus Cicero quoque hac figura saepissime in orationibus usus est. In illa Verrina, ex qua iam supra numeros attuli, polysyndeta undecima fere pars sunt asyndetorum et Straubius quoque adnotat Verrinas esse uberrimas, quod magna ex parte narrationes contineant.

c. XXVII. adn. [1]) Straub 121. Groß 231. Dzial. 17.

sint illi, quod singula membra disiunctionis ita complecti possit, ut unum enuntiatum existat[2]). Straubium, qui exempla affert ut Cic. in Verr. act. I, 2 *depeculatorem aerarii, vexatorem Asiae, praedonem iuris, labem provinciae* non sequar, cum talia exempla rectius gradationi, quae propria est figura, attribuenda esse putem.

Leges autem huius figurae exempla: 1, 1, 9 *inde foedus ictum . . . salutationem factam*; 15, 3 *ut potius acie decernerent, quam inclusi . . . dimicarent*; 32, 8 *haec portam ingrediens, haec forum ingressus* (cf. c. XIX); 45, 1 *consilio augere imperium conatus est, simul et aliquod addere urbi decus.* 2, 9, 1 *nunc orabant, ne . . . pateretur, nunc monebant, ne . . . sineret*; 45, 6 *poscunt pugnam, postulant ut signum detur*; 65, 3 *virtute militum fretus, loco parum fidens.* 3, 14, 3 *auxere iras in plebem, non minuerunt animos.* [4, 5, 4 *animos temptabunt, vires non experientur.* 5, 6, 14 *qui signa relinquit aut praesidio decedit.* 40, 15, 8 *nec hodie ut prosit mihi gratia Romanorum, postulo; ne obsit tantum, deprecor*]. 41, 3, 6 *tribuni . . . proicere iubent, centurionibus imperant ut . . .*; || 7, 8 *quando id bellum senatus decrevisset, quando id bellum populus Romanus iussisset* ||. [42, 13, 3 *cernebam . . .; cernebam . . .; videbam . . .*]; cf. 5, 6, 2. 6, 33, 1. 7, 7, 4. 9, 4, 6. 41, 19, 2; 24, 6. 42, 5, 4; [33, 4]. 44, 24, 3. || 45, 14, 4 || ; 20, 3; 31, 5. [41, 7] simill.

Quae figura cum, quamquam nonnunquam auctiorem reddat sensum, minoris momenti videatur esse neque multum abhorrere a synonymia, de qua satis fecimus verborum, agamus de ea figura, quae disiunctioni contraria est, i. e.

XXVIII. De coniunctione[1]),

de qua breves esse possumus, cum a viris doctis multa de hac

---

[2]) Veterum definitiones difficiliores atque obscuriores videntur; cf. auct. ad Heren. 4, 27, 37. Quint. 9, 3, 45.

c. adn. XXVIII. [1]) Straub. 121. Dzial. 16. Groß 177. Volkm. 476. Kühn. 289. Clemm. 38 et 113: cf. Grysar, Ztschr. f. d. österr. Gymnas. IV (1883), 36. Joh. Freudenberg, Observationes Livianae, progr. Bonnae 1854, p. 12; cf. Heerwagen, N. Jahrbb. 71 (1855), p. 196. Madvig, Lateinische Sprachlehre, Braunschweig 1857, § 478. Leo, Analecta Plautina. De figuris sermonis I, prooem. Gottg. 1896, p. 1. Cf. Koldewey, Ztschr. f. d. G. W. 1877, p. 337. H. Boldt, De liberiore linguae graecae et latinae

figura Livii libris adscripta inveniamus [2]). Coniunctio vel adiunctio vel *ζεῦγμα* vel *ἀπὸ κοινοῦ* a Linacro (p. 435) ita definitur: *syllepsis est diversarum clausularum per unum verbum conglutinata conceptio.* Cum multa exempla leviora sint et minimam vim habeant, praeter alia multa coniunctioni subiungenda esse haec censeo: 1, 1, 6 *pacem cum Aenea, deinde affinitatem iunxisse*; 3, 7 *is Silvium creat, is . . . Latinum*; 36, 6 *ut concilia populi, exercitus vocati, summa rerum, ubi aves non admisissent, dirimerentur.* [2, 37, 7 *ne cuius facti dictive contagione praesens violer*]; 51, 4 *non usquam pecora tuta, non agrestes erant.* 3, 30, 1 *domi seditiones iidem tribuni, eadem lex faciebat.* 4, 9, 13 *Volsci firmiore se munimento ab Romanis circumvallatos, quam a se urbem viderent.* [6, 6, 13 *sive Etruria se . . ., sive nova haec cura, Latini atque Hernici moverint.* 9, 9, 18 *in haec ferrum, in haec iras acuant*]; 18, 5 *quid si vini amor in dies fieret acrior, quid si trux ac praefervida ira?* 10, 34, 6 *silentium vastum in urbe nec arma nec viros in turribus ac muris vidit.* [40, 15, 4 *quem ad modum nec nunc sperare regnum* (debeo), *nec ambigere unquam de eo forsitan debeam*]. 45, 32, 9 *multitudo et athletarum et nobilium equorum convenit*; etc. etc.

Quibus absolutis progrediamur ad eam figuram, quae audacioribus coniunctionis exemplis affinis est et a Graecis

XXIX. Ellipsis [1])

appellatur et a nonnullis tropis adiudicatur. Constituimus autem ellipsin, si ad legitimam et integram structuram enuntiati unum

collocatione verborum, diss. Gttg. 1884, p. 69. Schütz, Phil. Rdsch. V (1885), 1619. Hildebrandt, De figuris coniectanea, Rh. M. 61 (1906), 573.

[2]) cf. Müll. ad 1, 18, 3; 56, 7. 2, 30, 13; 59, 5 rell. Weißenb. ad 2, 9, 4; 19, 6. 6, 25 9 etc.

c. XXIX. adn. [1]) Linacer 392. Ruddimann 357. Straub 126. Groß 172. Petzke 17. Gerb. II 1, 213. Hermann, opusc. I, 148 vel in Wolfii et Buttmanni Museo antiquitatis studiorum I (1808), 95. Madvig § 479. Kleine, de genetivi usu etc., p. 11. Draeger, Hist. Synt. I, 171. II, 478. Kühner, Gram. II 1, 1039. Reisig 824. Ziemer 47. Schultz § 460. Kühnast 275. Clemm 6 et 22. Lamberti Bos Ellipses Graecae, ed. G. H. Schaefer, Lips. 1808. Insequentes quinque libri in manibus meis non fuerunt: J. Fr. Grimm, libellus de ellipsibus, Frkf. 1743. D. Chr. Grimm, Animad-

vel nonnulla necessaria vocabula desunt. Ellipsin autem verbi substantivi[2]), de qua egregie Kühnastius, vir d., disseruit, et ellipsin praepositionum, si haec quidem ellipsis est, quae apud Liv. nonnusquam invenitur, neglexi. Sed de eis quoque agere ellipsibus, quae illis remotis restant, magnas habet difficultates. Viri enim docti vulgo ellipsin distribuunt in grammaticam et rhetoricam, quae quomodo satis discerni possint, nemo dicit. Mihi quidem tota ellipsis magis spectare videtur ad grammaticam quam rhetoricam artem, cum ellipsis, quae vim rhetoricam prae se fert, saepe melius coniunctioni vel praecisioni subiungatur. Qua re cum fines huius figurae non satis sint firmi[3]), cum rectissime Paulius admoneat in constituendis ellipsibus maximam esse adhibendam cautionem, cum multa in Livii editionibus adnotata invenias, hanc figuram strictim tantum transigamus:

1. Substantivum omittitur: 1, 24, 5 *puram* (sc. herbam)

versiones ad Grimmii libellum de ellipsibus, Annaeb. 1774—80. J. G. Lindner, Über lateinische Ellipsen, 1780. E. Palairet, Thesaurus ellipsium Latinarum, edit. emend. cur. M. Runkelius, Lips. 1830. Platz, Seebodes Archiv für Philologie u. Pädagogik. 1828, p. 29. — Schlickeisen, Einige Bemerkungen über lateinische Grammatik, namentlich über die Ellipse, progr. Mühlhausen 1830, qui liber nihil ad hanc rem valet. Mehlhorn, Schematis ἀπὸ κοινοῦ ratio et usus quidam in Graeca lingua, progr. Glogov. 1833. p. 3; cf. Sommer, Ztschr. f. d. Altert. Wissensch. 1836, 98. Wichert, Über die Ergänzung elliptischer Satzteile im Lateinischen I, progr. Guben 1862. H. Rieß, Commentatio de ellipsi in lingua Latina, Rinteln 1864. M. Müller, Beiträge zur Kritik und Erklärung des Livius, progr. Stendal 1866, p. 12. Cf. Anton, Die Partikel „noch" im Lateinischen, progr. Halberstadt 1869 et Otto, Die Substantivierung des lateinischen Adjektivums durch Ellipse, progr. Rottweil 1874, p. 4. H. Plew, De ellipsi verbi copulativi esse, Tilsit 1878. M. Seyffert, Palaestra Ciceroniana, Lpzg. 1875, p. 17. Woelfflin, Archiv f. l. L. II (1885), 365. IX (1896), 285; cf. J. C. Rolfe, ibd. X (1898). 227. Altenburg, De sermone pedestri Italorum vetustissimo, Lips. 1898, p. 15. Paul, Principien der Sprachgeschichte[4], Halle 1910, p. 313. K. Friz, Sogenannte Verbal-Ellipse bei Quintilian, diss. Tübg. 1905.

[2]) cf. Th. Winter, De ellipsi verbi esse apud Catullum etc., diss. Marburg 1907, qui docet hanc ellipsin ad graecismos latinos esse referendam, quod an rectum sit nescio.

[3]) Non conferenda est cum ellipsi brachylogia, quae dicitur, qualis exstat 2, 8, 7 *foedum nuntium incutiunt* = foedo nuntio terrorem incutiunt; simill.

tollito[4]); 41, 4 *ad Iovis Statoris* (sc. templum)[5]). ‖ 2, 52, 3 *stativa* (sc. castra). 3, 46, 5 *recta* (sc. via). 5, 38, 2 *ab dextera* (sc. parte). 41, 28, 2 *ad Cereris, Liberi Liberaeque.* 45, 6, 5 *per altum* (sc. mare); simill., quibus omnibus vis rhetorica non inest.

2. Omissum est verbum: [1, 7, 2 *sic deinde, quicunque alius transiliat moenia mea* (sc. peribit)]; 18, 3 *ex quibus locis quae fama in Sabinos* (sc. adlata esset); 33, 8 *ad terrorem* (sc. inferendum)[4]; 41, 1 *clamor inde concursusque populi* (sc. fit); 57, 8 *age sane, omnes*[4]); 48, 2 *cum ille 'ferociter ad haec: se patris sui tendere sedem*[4]). 2, 16, 1 *consules M. Valerius P. Postumius* (sc. facti sunt, quod saepius omittitur). [5, 52, 13 *quid tandem de sacerdotibus* (sc. dicam)? 9, 9, 6 *di meliora* (sc. dent)]. 41, 12, 10 *quod raro alius* (sc. fecit). 42, 62, 11 *haec legati* (sc. dixerunt). 43, 15, 4 *quas videretur* (sc. dandas esse) *consuli darent.* 45, 40, 4 *ipse postremo Paulus in curru . . .; deinde equites turmatim et cohortes peditum suis quaeque ordinibus*; rell.

Sed haec ne diutius curemus eis figuris, quae adiectione vel detractione formantur, satis explanatis ad eas procedamus figuras, quae ex splendore et lepore quodam dicendi nascuntur et primum[6]) agamus

XXX. De anastropha[1]),

quae est *vocum maxime praepositionum praepostera collocatio*[2]). Quam definitionem probantem me non fugit cum Straubio viro d.

[4]) cf. quae adnotaverunt M. Müller et Weißenb.

[5]) cf. Wölfflin, Arch. f. l. L. XI (1900), 26. G. Tiede, Vergleichende Bemerkungen über lateinische und deutsche Umgangssprache, progr. Sprottau 1872, p. 17. Dziatzko-Kauer, ad Ter. Adelph. [2] (Lpzg. 1903), v. 582. Zangemeister, Rh. M. 57 (1902), 168. F. Mauthner, Beiträge zu einer Kritik der Sprache, Stuttgart-Berlin 1902, III, 206. Paul 322.

[6]) Tres illae figg., quae sequuntur, hyperbato a veteribus attribuuntur, quod multas in partes diviserunt; Straubius praeter illas tres affert tmesin, quae est *unius compositi aut simplicis verbis sectio, una dictione vel pluribus interiectis*; cf. Donatum in Keili grammaticis Latinis IV, 401. Scripsit de his rebus etiam Pierson, Rh. M. IX (1857), 90; 260; 379. Boldt 50.

c. XXX. adn. [1]) Straub 128. Groß 183. Volkm. 437. Madvig § 469 adn. Kreizner 15. Drakenborch ad II, 19, 7. Nipperdey, ad Tac. ann. III, 10; cf. Lehrs, Quaestiones epicae, Regimonti 1838, p. 68. Tycho Mommsen, Syntaktische Forschungen, Halle 1879, p. 148. Neue-Wagener,

me non facere, qui fines huius figurae, siquidem figura est, longius protulit et exempla affert ut Cic. Verr. I, 3, 6 *fidem sanctissimam in vita qui putat*. Quam collocationem verborum a simplici et a grammatica abhorrere nemo negabit, sed si hanc figuram intellegi volumus, quid, praesertim in oratione quadam commotiore, non est dictum figurate? Sed cum res agatur, quae multis verbis digna fere non est, nisi propria dissertatione perquirimus, quid valeat anastrophe vel totum hyperbaton cum ad efficiendam varietatem, tum ad numerum perpoliendum, quae quaestio apud Livium satis esse difficilis videtur, statim nonnulla exempla [3]), ne quid ex figurarum numero deesse videatur, inspiciamus: 1, 18, 2 *centum amplius post annos* [4]). 2, 19, 5 *hac aut illa ex acie*. 4, 43, 2 *ob Semproniae cladis levatam ignominiam*. 5, 29, 2 *annum post quintum decimum*. 7, 8, 4 *tam vires pares*; 19, 3 *medio in foro*. 8, 13, 4 *admodum a paucis*; 20, 5 *paucos deinde post dies* [5]). 9, 9, 16 *vobiscum*; 32, 9 *ante signa circaque*; ibd. 11 *vix quod satis esset*; 37, 11 *hostium milia ad sexaginta*; ibd. *metuque in magno*; 43, 15 *aciemque per mediam*. 40, 4, 2 *multis ante annis* [6]); [9, 14 *secum*]; cf. 43, 18, 11; 19, 14 etc. 40, 45, 4 *haec inter prodigia*. [41, 24, 5 *ob quam causam nec quem ad modum*]. 42, 1, 11 *iter qua faciendum erat*. 44, 7, 2 *sacro in loco*; 35, 16 *medio in alveo*; rell.

Quod cum breviter attigerimus, disputemus

Formenlehre II ³, 942 (Bln. 1892). Degering, Beiträge zur historischen Syntax der lateinischen Sprache, diss. Erlg. 1893, p. 28. Weißenb. ad 26, 46, 2. Witte, Quaestiones tragicae, diss. Vrat. 1908, p. 15. De usu, qui anastrophae non plane dissimilis est, quo elocutiones adverbiales a vocabulis dirimantur, quibus attributae sunt, egit C. F. W. Müller, Rh. M. 55 (1900), 636.

[2]) Ruddimann 392. Linacer 481.

[3]) Mirum videtur Livium usum, qui apud alios scriptores saepissime exstat et leve anastrophes exhibet vestigium, fere non adhibuisse, illum dico, quo dicitur *quocum, quibuscum* etc.; cf. Weißenb. ad 4, 24, 2. Kühnast 19. Greef, Phil. 32 (1873), 722.

[4]) cf. quae adnotaverunt Müll. et Weißenb.

[5]) cf. 40, 26, 2; 30, 4. 42, 10, 5; 37, 1. 44, 2, 4 et 28, 6. 40, 28, 6 *triduo post*; cf. 52, 3.

[6]) cf. 40, 52, 1; ibd. 4. 43, 2, 9 *triennio ante*.

XXXI. De hysterologia[1]),

quae paene tota poetarum est. Est autem hysteronproteron, cum priore loco ponitur, quod sensu posteriorem postulat. Insigniora exempla, quae definitioni Boldtii sint accommodata, Livius fere non praebet. Cavendum est, ne cum hac figura confundamus *ἀναχρονισμόν,* qui saepius exstat apud Liv., cf. 2, 49, 8 *infelici via,* quod nomen post Fabiorum demum interitum adhibetur[2]).

Adnotanda videntur: ‖ 2, 55, 2 *agendum ac cogitandum* ‖, quamquam Weißenb. negat hoc esse hysteronproteron; cf. 44, 25, 3. Similiter res se habet [7, 32, 16 *semper ego plebem . . . colo atque colui*]. Certa autem exempla sunt: 1, 2, 3 *socia arma Rutulis iunxit*[3]); 14, 8 *plenis repente portis effusi hostes*[4]); 17, 1 *certamen regni ac cupido.* 2, 6, 7 *qui nos extorres expulit patria*; cf. 5, 30, 6. 2, 45, 14 *aliosque iratos invocat deos*; cf. ‖ 5, 11, 16 ‖. 3, 50, 5 *supinas tendens manus.* 6, 34, 3 *obnoxios summiserant animos.* 8, 30, 6 *concitatos calcaribus permisit.* 10, 36, 2 *stabant exspectantes, dum ab hostibus prius impetus prius clamor inciperet*[5]). [41, 23, 8 *libertatem subrui et temptari patimur*].

Iam vero accedamus ad eam figuram, quae multo maius obtinet spatium in libris, quos nobis tractandos sumpsimus, i. e. ad

XXXII. Parenthesin[1]),

quae oritur, si enuntiatum iam inchoatum nova quadam sententia vel nonnullis vocabulis, quae proprium non semper efficiunt enun-

c. XXXI. adn. [1]) Straub 126. Gerb. I, 594. Groß 210. Volkm. 438. Ruddim. 393. Boldt 179: *ea quae graviora sunt et plurimum ad sententiam valent, praecedunt, ea quae minoris sunt momenti, postea subsequuntur, quamvis temporis aut loci ratione habita initio poni debuerint.* Hildebrandt 568. Hauler, Arch. f. l. L. V (1888), 578. Wölfflin, Sitzgber. d. bayr. Ak., ph.-hist. Kl. 1890 I, 305.

[2]) cf. A. Ebert, Der Anachronismus in Ovids Metamorphosen, Ansbach 1888.

[3]) Talia si diligentius dividis, hysterologiae sunt abiudicanda et adscribenda ei figurae, quae dicitur prolepsis, quas duas, cum simillimae sint, confudi.

[4]) cf. Verg. Aen. 12, 121 *plenis se fundunt agmina portis.*

[5]) Aliter usurpatur 10, 41, 2 *clamorem atque impetum.*

c. XXXII. adn. [1]) Straub 128. Volkm. 437. Groß 176. Ernesti 248. Heinichen 222. Kühner II 2, 767. Petzke 38. Kühnast 325 adn. Boldt 159.

tiatum, quasi inciditur atque eo quod interrupit finito demum continuatur, quod nonnusquam alia atque institutum erat fit ratione. Straubius huc revocat illum usum, qui exstat Cic. Phil. XIV, 32 *brevis a natura — nobis vita data est* et Caecil. 65 *propter Hispanorum, apud quos consul fuerat, iniurias*, quamquam ipse, quid, magis sit usitatum, interrogat. Iterum atque saepius moneo: quid si tam artis finibus figurarum vim constringimus, figura non est? Hanc non esse communem et vulgarem collocationem verborum quis neget, sed et scriptori et oratori cum vulgariores elocutiones tum eadem semper vocum collocatio fugienda est, qua re caveamus, ne in nugas atque ineptias incidamus, quas veteres grammatici in agnoscendis figuris saepe non videntur vitavisse.

Iam accedamus ad usum Livianum recensendum, qua in re natura parentheseos fit, ut multa exempla non afferamus. M. Müller ad 1, 37, 5 et Kühnast adnotant Livium parentheses plerumque *ἀσυνδέτως* posuisse rariusque eum adhibuisse *autem, enim quippe, nam*, quod hoc modo recte observatum esse non concedo. De libris I, II, III enim et de libris XLII et XLIV hoc quidem statui potest, cum in nonnullis ceterorum idem fere numerus et huius et illius generis legatur, in plurimis autem libris saepius coniunctio quaedam et parentheseos et prioris enuntiati exstet. Saepissime ad coniunctionem efficiendam adhibetur in dec. I vox *enim* (ca. quinquagies, ut numeris aliquid concedatur), *nam* ter decies in V, sequuntur in illa dec. *nam* (ca. vicies quinquies), in hac *enim* (octies), longo intervallo *autem, et, nec* rell.

Apud Liv. parenthesis plerumque efficitur toto enuntiato, quod per se intellegi potest, atque enuntiata, quae interponuntur nonnunquam fit, ut sint longiora, cf. 1, 46, 4 *hic Tarquinius — Prisci Tarquini regis filius neposne fuerit, parum liquet; pluribus tamen auctoribus filium tradiderim — fratrem habuerat*. 2, 32, 2 *in sacrum montem secessisse trans Anienem amnem est, tria ab urbe milia passuum; ea frequentior fama est, quam cuius Piso auctor est in Aventinum secessionem factam esse —; ibi sine ullo duce* e. q. s; cf. [9, 26, 15]. 43, 9, 6 simill. Contraria sunt: 1, 32, 6 *la-*

Müller, progr. I, 16. R. M. Meyer 73. Scheller, Praecepta stili bene Latini, Lips. 1779, p. 589. Roschatt, Acta semin. phil. Erlang. III (1884), 189; cf. Deecke, Bursians Jahresb. 77 (1893), 332. G. Kaibel, Stil und Text der πολιτεία Ἀθηναίων des Aristoteles, Berlin 1893, p. 16.

nae velamen est; 60, 1 *senserat enim eventum*. 2, 43, 9 *crederes victos*. [7, 40, 9 *horreo dicere*]. 8, 13, 9 *rara illa aetate res*. 9, 44, 9 *et ita erant*. [10, 7, 12 *pace dixerim deum*]; cf. 42, 55, 6 etc.

Adnotandum videtur parentheses a Livio in orationibus satis raro esse adhibitas; causae autem, propter quas haec figura ponitur, ab eis, quas Straubius apud Ciceronem valuisse demonstrat, longe distant. Apud Liv. enim rei alicuius demonstrandae et definiendae causa aliquid interponitur rariusque aliquid in memoriam revocatur vel acerbius aliquid dictum excusatur etc., atque in simplici narratione saepe id parentheses continent, quod nostrae aetatis viri docti adnotationibus orationi contextae subscriptis complectuntur.

Quibus expositis si quaerimus, num idem numerus exemplorum exstet in singulis libris (in dec. I ca. CLXX, in dec. V ca. LXXX exempla leguntur), dicendum erit in libro I, XLIII, XLV paulo maiorem pro portione inveniri quam in ceteris.

Sed cum tempus me deficiat, hanc rem diligentius perquirere non possum; qua re disputemus de ea figura, quae

XXXIII. Polyptoton[1])

appellatur, quod vocabula quaedam sive initio enuntiati (cf. c. XVII) sive intra structuram totius sententiae vel complurium sententiarum

c. XXXIII. adn. [1]) Straub 130. Dzial. 11. Volkm. 470. Gerb. II 2, 8. Groß 163. H. Loewe 27. Ed. Aug. Diller, Commentatio de consensu notionum, qualis est in vocibus eiusdem originis diversitate formarum copulatis, progr. Misenae 1842, p. 11; cf. Klotz, N. Jahrbb. 35 (1842), p. 446. Buchhold, De paromoeseos (adlitterationis) apud veteres Romanorum poetas usu, Lips. 1883, p. 29; cf. Wölfflin, Arch. f. l. L. I (1884), 131 et Thielmann, Wchschr. f. kl. Ph. I (1884), 979. Kraffert, Ztschr. f. G. W. 31 (1887), 726, qui vituperatur a L. Laurand, Études sur le style des discours de Cicéron, Paris 1907, p. 123 sq. — Quibus adiciam pauca, quibus Weißenb. sententiam suam de polyptoto profert; ad 1, 53, 4: solche Wiederholungen, sei es der Deutlichkeit wegen oder um Pronomina zu vermeiden, oder aus Eile, hat Liv. häufiger als andere Schriftsteller. Zu unterscheiden sind die, welche rhetorischen Zwecken dienen oder aus dem Streben hervorgehen, einen Begriff nach seinen verschiedenen Beziehungen auch in verschiedenen Formen darzustellen. Ad 43, 11, 3: Die Wiederholung von comitia macht den Aus-

declinationibus casuum aut generibus immutatis aut numeris variantur[2]).

Praemittendum videtur me in hoc et insequentibus capitibus nonnunquam a sententiis virorum doctissimorum, qui ante me de his rebus egerunt, dissensurum esse, cum proprium iudicium de polyptoto, allitteratione, paronomasia, homoeoteleuto ferre studuerim. Studuerunt homines philologi iterum atque saepius usum et rationem figurarum, quas attuli, explanare et certas definitiones protulerunt, quibus non paululum saepius alius ab alio differebat, ita ut vix fieri possit, ut omnia, quae affirmaverunt, in mente et promptu habeas, quamquam concedendum est de principiis rerum generaliter eos consentire. Quorum sententiis cognoscendis cum operam darem, occurrit, quam vario modo auctores nostris figuris usi sint, neque me praeteriit Livium, quem diligentissime omnium pervestigavi, maxime esse reprehendendum, si vulgarem illam et tritam sententiam de his figuris sequeremur. Saepissime enim *κακοφωνίαι*, quae dicuntur, a viris doctis statuuntur, cum mea quidem sententia figurata quaedam elocutio exstet[3]) et certe vitium illud, *κακοφωνίαν* nomino, ab ipsis Romanis non sentiretur. Sed multis superioribus locis artem Livi ita illustravi, ut nemo dubitaverit,

---

druck breit, dient aber zugleich der Deutlichkeit und ist in dem Stil des L. nicht auffallend. Eigentümlich ist diese Fülle dem Kurialstil und daher findet sie sich besonders häufig in offiziellen Formeln u. ähnl. Ad 44, 5, 7: Die oftmalige Wiederholung von pons ist störend, aber auch procedere ist viermal gesetzt, und ähnliche stilistische Nachlässigkeiten begegnen bei L. oft, namentlich dann, wenn, wie hier, der Stil hinter der Deutlichkeit naturgemäß zurücktreten muß.

[2]) Veterum definitionem (cf. Aquila 33. Quint. 9, 3, 36. Cic. de or. III, 207) aliquantulum correxi.

[3]) cf. Lobeck, Paralipomena I, 3. Joh. Müller, Der Stil des älteren Plinius, Innsbruck 1883, p. 51 similitudinem vitiosam habet, si idem verbum parvo intervallo repetitur: Wir meinen hier nicht Wiederholungen mit rhetorischem Zwecke, noch solche, die der Bestimmtheit des Ausdrucks oder der Deutlichkeit dienen, sondern solche, wie sie der Unachtsamkeit unterlaufen. Sed quid hoc sibi vult „die Bestimmtheit des Ausdrucks e. q. s.“? Nihil fere equidem censeo, nam hac ratione licentiae ac libidini uniuscuiusque via patefiet et omnes leges solventur. Idem vituperat illum usum, qui est „gleichförmiger Anfang aufeinanderfolgender Sätze und Abschnitte“. Quam sit difficile de his rebus recte iudicare, supra admonuimus et multum abest, ut tale iudicium accipiamus.

quin Livius summo studio elocutionem excoluerit. Tamen tantum abest, ut Livium semper vitia quaedam elocutionis vitavisse pro certo habeamus, ut non difficillimum sit quaedam afferre. Sed quis putet eum vitia quasi adcumulasse? quis eum saepissime eorundem vocabulorum *malum sonum* neglexisse, si id tale sit vitium, quale esse Joh. Muellerus aliique nobis persuadere volunt[4])? Exempli gratia ex libris quibuslibet tabulam parvam eorum verborum adiciam, quae secundum illorum sententiam mendosa sunt, in qua ea omittam, quae rhetorice esse dicta vel illorum sententia videntur aut allitterationi, paronomasiae, homoeoteleuto, de quibus infra agetur, subiunguntur: 1, 8, 1 *rebus* — *re*; 2 *fecisset* — *fecit*; 3 *numero* — *numerum*; 5 *urbis* — *urbes*; 7 *virium* — *viribus*; ibd. *creat* — *creari*; ibd. *erat* — *erant*; ibd. *patres* — *patres*; 24, 1 *res* — *re*; 1 *Horatios* — *i* — *os*; 2 *dimicent* — *dimicarent*; 2 *fore* — *fuerit*; 3 *populi* — *populo*; 4 *foedera* — *foederis* — *foedus*; 4 *fiunt* — *factum*; 4 sq. *regem* — *rex* — *rege* — *rex* — *rex* — *regem* — *rex* — *regium* — *rex*. [5, 51, 2 *rediturus* — *redirem*. 2 *essem* — *esset* — *deesse* — *est*]. Talia quae non industria et consilio, sed ut casus ferebat, selecta sunt, innumerabilibus fere locis[5]) invenies et quo modo fiat, ut bonum illud, quod supra tulimus et hoc severissimum de Livio iudicium quadrent? Aliam viam ingrediamur. Livium atque omnino veteres consonantia quadam vocabulorum maxime esse delectatos ex proximis capitibus satis elucebit; nos contra consonantiam nisi in eis, quae „Wortspiele“ nominamus, et in levi allitteratione fugimus, quo fit, ut aures nostrae nimis

[4]) Quamquam in summa totius rei tot *κακοφωνίας* veras esse statuendas cum Krafferto non consentio, tamen ea, quae p. 732 proferuntur, digna sunt quae afferantur: Die alten Römer haben die Hauptgesetze der Euphonie wohl gekannt . . . ; aber zwischen Theorie und Praxis ist auch hier ein Widerspruch, selbst bei den besten Autoren ist die Zahl der Kakophonien sehr groß, größer als in vielen andern Sprachen. Die Rücksicht auf den Wohlklang war für sie nicht das höchste Gesetz . . . . Da nun eine Konsequenz auf diesem Gebiete vermißt wird, die Alten nicht solche Pedanten waren, zu denen einige Moderne sie stempeln möchten, so . . . . Es ist an der Zeit, daß wir nicht nur immer die Lichtseiten . . . der römischen Litteratur ins Auge fassen.

[5]) Multo plus quam sex milia exemplorum, quae ad polyptoton trahi aliquo modo possunt, collegi. In aliorum quoque scriptorum commentariis nonnunquam exempla adscripta invenies; cf. Vollmer, P. Papinii Statii Silvarum libri, Lpzg. 1898, p. 29.

offendantur malo ut putamus sono consonantium vocabulorum. Sensus igitur noster elocutionis elegantis plane mutandus est, si ad veterum scripta aggredimur neque omnino ea obliviscenda sunt, quae supra (XVIII § 1) exposui. Sed cum auctor quisque suam propriam habeat consuetudinem loquendi, primum postulabitur, ut leges eius ex tota mole exemplorum, quam praebet, explanentur neve auctor noster legibus ab alio auctore repetitis subiciatur, qua ratione statuere poterimus, si rem accurate absolverimus, quid vere vitiosum sit, quid consilio positum vel — ne quid neglegamus, quod nonnunquam aliquid videtur valere — quid ludi vel ioci causa adhibitum sit. An dicat quispiam ea quoque exempla, quibus vocabulum aliquod quater vel saepius sine ulla causa usurpetur ex neglegentia esse nata? Numerosiores enim sunt eiusmodi loci et raro tantum pro portione probari potest haec omnia certe esse rhetorica i. e. vim augere, rem certius declarare etc. Id quoque nonnunquam fit, ut commentatores, quos *κακοφωνία* illa odiosa offendit, scriptori multa falso attribuant, quibus commotus auctor eadem vocabula repetiverit. Multo saepius hoc modo ludi tantum videtur, cf. multitudinem exemplorum ex libro I, quae afferam, quorum nonnulla huc pertinere videntur.

Quater eaedem voces repetuntur[6]: 12, 1 *Romani*; 19, 4[7]); 6 *annum*; 22, 5 *Tullo*; 24, 9[8]); 26, 5 *duumviros*; [38, 2 *populo*][9]); 43, 7 *centurias*; quinquies: 24, 5 *facis*; [32, 13 *Priscorum Latinorum*[10]); 38, 2 *Collatinos*][9]); 50, 8[11]); sexies: 24, 4[9]); [32, 13 *populi*][10]).

In ceteris libris quattuor repetitiones occurunt: [2, 2, 7 *tua*]; || 32, 9 *suum* ||; 56, 13 *tribunus*. || 3, 9, 4 *legum* ||; 21, 1 *consulum*; ibd. 3 *consules*; [5 *aliorum*]; 55, 14 *plebis*; 70, 4 *hostium*;

---

6) Cum semper fere exempla per complures paragraphos ducantur, adnoto eam tantum, in qua incipiantur.

7) Quinque lineis continetur et aures vix offendit: *deorum — dea — diis — deorum*.

8) Rhetorice dicitur: *sua item carmina Albani, suumque ius iurandum per suum dictatorem suosque sacerdotes peregerunt*.

9) Hoc loco Livius polyptoto colorem quendam antiquum spectavisse videtur; cf. Weißenb. ad 43, 11, 3.

10) Hoc exemplum exstat in formula, qua bellum a Romanis Priscis Latinis indicitur, cf. adn. 9.

11) Levissimum est et melius fortasse eximitur: *is — id — eos — ea — id*.

ibd. 10 *hostes.* 7, 3, 3 *dicitur*; [30, 10 *vestri*; 14 *explendae*; 40, 16 *cuius*]. 9, 27, 9 *aciem.* 40, 17, 1 *Carthaginensem*; 44, 10 *facienti.* 41, 18, 8 *templo.* 42, 5, 10 *eundem*; 17, 6 *dentur*; [41, 13 *meo*]. 44, 5, 5 *pons*; 13, 4 *Meliboeam*; [36, 12 *habui*]. 45, 21, 6 *intercederet*; [38, 14 *triumphantis*]; etc.

Quinque membra inveniuntur: 2, 22, 1 *Volscorum*; 33, 10 *plebi*; 36, 1 *ludi.* 7, 39, 5 *alii.* [9, 9, 7 *spoponderit*]. 40, 29, 9 *lecti*; rell.

Plura verba quam sex exstant: 3, 31, 6 *legem.* 4, 61, 6 *arcem*, cf. adn. Weißenb.[12]). [9, 34, 10 *creatum*]; simill.

Quibus ex exemplis satis ut opinor apparet crebriores repetitiones saepius apud Liv. inveniri etiam tum, cum *rhetoricas* excludimus, quam quae neglegentia vitiosa effectae esse possint; quin etiam verisimile videtur scriptorem nonnunquam polyptoton quaesivisse, quamquam non ratio rhetorica, sed cupiditas quaedam variis eiusdem vocis formis ludendi eum ducebat. Accedit, quod omnino Romani crebriorem pronominis demonstrativi usum vitavisse videntur, quod saepissime pro polyptoto atque praecipue nominum propriorum adhiberi possit[12]). Quae cum satis videantur firmata, exempla duarum vel trium vocum afferre supersedeo, quorum maximam partem non esse vitiosam, sed aut omnino non sentiri aut consilio affectari illis gravioribus exemplis verisimile fit.

Polyptoti duo internosci posse genera iam supra adnotavi, quorum alterum nihil aliud est, nisi forma quaedam anaphorae, quod adhibeatur necne nullius fere momenti est. In altero genere illorum exemplorum, quae rhetorica a viris doctis nominantur, nonnunquam inveniuntur, quae insigniora sunt, cf. 1, 50, 6 *neque magis observaturos diem concilii quam ipse, qui indixerit, observet*; 59, 7 *nec minorem momentum . . . res facit, quam Collatiae fecerat.* 2, 64, 6 *dum se putant vincere, vicere.* [5, 4, 9 *aut non suscipi bellum oportuit aut geri . . . et perfici . . . oportet.* 10, 7, 12 *ut quos privatim colimus, publice colamus.* 40, 8, 16 *illorum scelus similisque sceleri eventus*; 46, 7 *quos coniunxit suffragiis suis po-*

[12]) cf. Drakenborch ad 1, 3, 9. Müller ad praef. 4; 1, 7, 1: 53, 4, qui docet eiusmodi repetitiones apud poetas et historicos maximeque apud Caesarem perspicuitatis causa crebras esse, cum Cicero raro hoc dicendi genere usus sit. Vahlen, Emendationes Livianae, ind. lectt. hibern. Berol. 1876 (op. acad., Lips. 1907, I, 26) et De sermone Liviano observationes criticae, ind. lectt. aestiv. 1890 (opusc. 454).

pulus Romanus, hos etiam reconciliatione gratiae coniungi a nobis sinatis]. 41, 21, 5 . . *septimum diem superabant, qui superaverant longinquo implicabantur morbo.* 45, 20, 3 *tantoque omnium adsensu est auditus*; *omnibus honoribus muneribusque . . . est cultus*; simill.[13]).

Quibus expositis haud alienum mihi a re videtur quaerere, quinam fructus ad polyptoton rectius aestimandum ex exemplis exploratis redundet. Atque maximi momenti illud videtur, quod satis firmavimus, viros doctos saepissime errare in statuendis vitiis polyptoto effectis. Veteres nobis liberius de repetitione vocum sensisse probavimus, neque tamen negari potest Livium, quod ad polyptoton attinet, interdum peccavisse. Quae cum ita sint, statuamus polyptoti haec genera:

I. Polyptoton rhetoricum, quod dicitur.

a) Minimam vim habet p. cum anaphora coniunctum, quod variat tantum hanc figuram.

b) Maioris momenti p. est, quod aliis cum figuris coniungitur, cf. adn. 13.

c) Polypt. rhet., quod proprie dicitur, auget vim, rem quandam certius declarat etc.[14]).

II. Polyptoton, quod liberum vocamus, i. e. hac illa parte enuntiati legitur et

a) oritur ex ludendi eiusdem vocis diversis formis cupiditate.

b) casu exstat neque tamen aures malo sono offendit[15]).

Quibus omnibus contrarium est

III. Polyptoton vitiosum, quod satis rarum est et statuitur, cum sonus malus iisdem verbis iterum usurpatis efficitur, qui non sensus aut gradatione effecta aut perspicuitate aucta excusatur.

---

[13]) Neminem, qui diligentius exempla inspicit, fugere poterit haec exempla saepe vix ab aliis figuris, conduplicatione, reduplicatione, antistropha abripi posse; nonnunquam paronomasiae quoque simillima sunt.

[14]) Quo a numero seiunxi illum usum, quo dicitur: *alius alium, viro virum* etc., qui a Straubio polyptoto, a Landgraf, Act. sem. phil. Erlang. II (1884), p. 34 figurae etymologicae attribuitur; equidem eum s. v. paronomasia afferam.

[15]) Hoc longe latissimos fines obtinet et plurima omnium exempla ei attribuenda sunt.

Hoc genus polyptoti imprimis invenitur in exemplis duorum vel trium membrorum; difficile autem nonnunquam esse hoc vitium statuere concedo.

Maiorem vim plurimis in exemplis polyptoton habere non videtur. Quod ad numeros attinet inter singulos libros maiores differentiae exstant, quamquam difficile est certe iudicare, quod prae multitudine exemplorum dubito, an semper eadem diligentia locos collegerim. Orationum nonnullae paullo maiorem numerum continent, ni fallor, polyptotorum, cum aliae, sed multo rariores, hac figura plane fere careant. Quae omnia in illud iudicium quadrant Livium hanc rem, quae ipsius natura minorem habet vim, minime excoluisse atque ego longus de hac re fui, quod doctrinam de polyptoto firmo aliquo fundamento constituere volebam contra illorum sententiam, quos supra recensui; qua re, si copiosius quam deceat dixerim, ut ignoscas oro.

Nunc videamus, quo modo res se habeat in ceteris huius generis figuris. Venimus ad eam elegantiam soni, quae

XXXIV. Allitteratio[1])

a recentioribus dici solet.

§ 1. Natura huius figurae *haec est, ut duo vel plura deinceps*

---

c. XXXIV. adn. [1]) Straub 131. Groß 141. Gerb. II 1, 162. Petzke 72. Buchhold 14. Kraffert 713. Norden, K. P.[2] 59 et 161, 3. Kühnast 330. Stolz-Schmalz[4] 676. Lachmann, Ersch u. Grubers Encyclopädie, Lpzg. 1819, s. v. Allitteratio et opusc. de Germanica philologia, Berol. 1876, I p. 137. Cadenbach, De allitterationis apud Horatium usu, Essen 1831, p. 1. Ant. Schlüter, Veterum Latinorum allitteratio cum nostratium allitteratione comparata, Monast. Guestf. 1846. Aug. Fuchs, Die romanischen Sprachen in ihrem Verhältnis zum Lateinischen, Halle 1849, p. 257. Theobald, De annominationis et allitterationis apud Ciceronem usu, diss. Bonnae 1852. J. Schneider, Systematische und geschichtliche Darstellung der deutschen Verskunst, Tübg. 1861, p. 66. Schuch, De poesis Latinae rhythmis et rimis, Donaueschingen 1861, p. 24. Maehly, N. schweiz. Museum 1864, p. 207. Loch, De usu allitterationis apud poetas Latinos, diss. Hal. Sax. 1865. Bartsch, Der saturnische Vers und die altdeutsche Langzeile, Lpzg. 1867, p. 27. Westphal, Griechische Metrik, edd. Roßbach et Westphal II[2], 29, Lpzg. 1868. Michaelis, Studien zur romanischen Wortschöpfung, Lpzg. 1876, p. 26 adn. Rich. Klotz, Zur Allitteration und Symmetrie bei Plautus, progr Zittau 1876. Huemer, Untersuchungen über den jambischen Dimeter

vocabula, quae nullis grammaticae legibus inter se coniunguntur, — quod recte dictum non est, nam saepissime illa coniunctio legibus

bei den christlich-lateinischen Hymnendichtern der vorkarolingischen Zeit, progr. Wien 1876, p. 42. Bouterwek et Tegge, Die altsprachliche Orthoepie und die Praxis, Bln. 1878, p. 33 et 135. Huemer, Untersuchungen über die ältesten lateinisch-christlichen Rhythmen, Wien 1879, p. 2 adn. et 52. Jordan, Kritische Beiträge zur Geschichte der lateinischen Sprache, Bln. 1879, p. 167. Bucholz, De allitterationis indole atque natura ususque Homerici lineamenta, progr. Allenstein 1879, p. 1. Thielmann, Über Sprache und Kritik des lateinischen Apolloniusromans, Speyer 1881, p. 21. Wölfflin, Die allitterierenden Verbindungen der lateinischen Sprache, Münch. 1881; cf. Deecke, B. Jahresb. 32 (1882), 357. Thielmann, Bltt. f. d. bayr. G. W. 18 (1882), 43. Andresen, Ph. Wchschr. I (1881), 289. Blintz, Phil. Anz. 1883, 3. Wölfflin, Arch. f. l. L. III (1886), 453. IX (1896), 567. XIII (1904), 584. XIV (1906), 515 et Mélanges Boissier, Paris 1903, p. 461. Nonnulla, quae ad allitterationem pertinent, habet: Kvičala, Neue Beiträge zur Erklärung der Aeneis, Prag 1881, p. 293; 415; 435; cf. Deuticke, Jahresb. d. Berl. ph. Vereins VIII (1882), 163. Ebrard, Die Allitteration in der lateinischen Sprache, progr. Bayreuth 1882; cf. Blintz, Phil. Rdsch. 3 (1883), p. 8. Bötticher, De allitterationis apud Romanos vi et usu, diss. Berol. 1884; cf. Thielmann, Wchschr. f. kl. Ph. II (1885), 909 et Ebrard, Phil. Rdsch. IV (1884), 1622. Jordan, Arch. f. l. L. I (1884), 599. G. W. Kopf, Allitteration, Assonanz u. Reim in der Bibel, Erlg. 1883. Non usus sum disputatione conscripta a Peck, Allitteration in Latin (Transactions of the American Philological Association XV (1884), 58). Blintz, Beiträge zum Gebrauch der Allitteration bei den römischen Prosaikern, Phil. 44 (1885), 282. Seelmann, Die Aussprache des Latein, Heilbronn 1885, p. 232. P. Basi, Atti e memorie dell' Accad. di Padova V 2 (1889): novi hanc scriptionem tantummodo ex eis, quae alii rettulerunt. Bernh. Pretzsch, Zur Stilistik des Cornelius Nepos, Spandau 1890, p. 3. L. Lahmeyer, Studien zur lateinischen Grammatik I, Roßleben 1891, p. 3. Blümlein, Berichte des Freien deutschen Hochstiftes zu Frankfurt a. M. 1891, p. 105. Gerathewohl, Grundzüge für lateinische Allitterationsforschung (Verhdlg. d. Phil. Verslg. zu München, Lpzg. 1892, p. 235). Lucian Müller, De re metrica², Petropoli et Lips. 1894, p. 563. Keller, Grammatische Aufsätze, Lpzg. 1895, p. 1 et 362. Fr. Ranniger, Über die Allitteration bei den Gallolateinern, progr. Landau 1895. Klein, Über die Allitteration bei den lateinischen Schulautoren und deren Übersetzung, progr. Brünn 1896, p. 1. J. Schneider, De allitterationis apud T. Lucretium Carum usu ac vi, progr. Bamberg 1897, p. 1. Cf. K. Groos, Die Spiele der Menschen, Jena 1899, p. 45. Chr. Riedel, Allitteration bei den drei großen griechischen Tragikern, diss. Erlang. 1900, p. 1, 9, 42. G. Meusel, Curae Propertianae, diss. Lips. 1902, p. 62, qui Lochio obloquitur, recte exempla sua elegisse non videtur. W. Renz, Allitterationen bei Tacitus, progr. Aschaffenburg 1905, p. 1, quam-

grammaticae effecta invenitur — *ab iisdem litteris aut syllabis*[2]) *initium capiant*[3]). De nomine ipso, quod nusquam apud bonos antiquitatis scriptores invenitur, cf. Landgraf, De Ciceronis elocutione, diss. Wirceburg. 1878, p. 10 adn. Primus hoc nomine Pontanus, scriptor quinti decimi saeculi, usus est[4]). Allitterationis usus quam late in scriptis Romanorum pateret, primus exposuit Aug. Ferd. Naekius, vir doctissimus[5]).

Priusquam ad rem ipsam aggrediamur, liceat nonnulla praemittere. De nominibus veteres non multum dissentiunt, exhibent enim paromoeon vel homoeoprophoron vel παρήχησις[6]). Assonantia autem quae dicitur (cf. § 3) non multum nonnunquam abest a paronomasia, nam in hac quidem forma postulatur similis quaedam interior conformatio complurium vocum atque dubito, an Straubius in hac re recte senserit afferens exempla ut Verr. II, 2, 52 *eversum extersum*; 5, 25 *tectum lectum* simill., quae paronomasiae subiungere malim.

---

quam non in omnibus probandus tamen dignus videtur, qui legatur; p. 31 sqq. tabulam adiecit earum allitterationum, quas Tacitus fortasse ex prioribus scriptoribus maximeque ex Livio et Sallustio deprompsit; sed nescio an haec tabula nonnunquam expleri possit. W. Meyer, Gesammelte Abhandlungen zur mittellateinischen Rhythmik, Bln. 1905, II, 366. G. Bernhardt, De allitterationis apud Homerum usu, diss. Ienens. Gothae 1906, praeter alios nonnullos auctores affert, qui de allitt. apud nationes, quae longissime absunt a nobis, ut Mongolos, Fennos etc. scripserunt. Skutsch in libro, qui a nonnullis viris illustrissimis compositus est: Die griechische und lateinische Litteratur und Sprache; Kultur der Gegenwart I, 8², 443, Lpzg. 1907. — Dignus est, qui vituperetur: H. Sachs, Allitterationen und Assonanzen in den carmina des Horatius, progr. Bln. 1903, qui modum in eligendis exemplis non servavit.

2) assyllabatio, cf. Brix-Niemeyer ad Plaut. mil. glor. 10 et 197.

3) G. Landgraf, De figuris etymologicis linguae Latinae, Act. sem. phil. Erlg. 1881, II, 3 et Bltt. f. d. b. G. W. 16 (1880), 329; cf. Dombart, Bltt. f. d. b. G. W. 17 (1881), 180 et Ph. Anz. XI (1881), 5. Thielmann, N. Jahrbb. f. Ph. 50 (1880), 774. Deecke, B. Jahresb. 32 (1882), 359. Golling, Ztschr. f. d. öst. Gymn. 34 (1883), 867. Schmalz, Ph. Rdsch. II (1882), 1487 et Jahrb. f. kl. Ph. Suppl. XVIII (1892), 653.

4) Ioh. Ioviani Pontani opera, Basil. 1556, II, 1372 vel edit. Aldina 1519, fol. 127б; cf. Andr. Schottus, Cicero a calumniis vindicatus, Antv. 1613, c. 10 p. 148, quos non in manibus habui.

5) Rh. M. III, Bonn 1829, p. 324: De allitteratione sermonis Latini.

6) Charis. K. I, 282. Mart. H. 474. Donat. K. IV, 398. Beda H. 610.

De allitteratione multa, quae de polyptoto dixi, valent. Hic quoque viri philologi multa statuerunt, quae ipsis rebus refutantur. In eo libello, qui inscribitur „Allitt. Verbindungen", Woelfflinus ea verba sola fere valere putat, quae in formulis coordinatis adhibentur, sed in posteriore opusculo sententiam suam mutasse videtur. Plurimi leges certas omnino non constituunt atque satis habent adnotasse nonnullas coniunctiones vocum quarundam, de quibus mox agetur, ab allitteratione esse segregandas. Quae cum ita sint, maxime laudandus est Gerathewohl, vir d., quod primus ostendit, quod supra in polyptoto monuimus dicentes aures non oculos statuere eiusmodi figuram. Docet enim Gerathewohl p. 235: „A. ist der Gleichklang des Anlauts betonter Silben" et „Die Tonsilben der Wörter sind reimfähig, auch wenn sie nicht am Anfang der Wörter stehen". Addendum videtur nonnunquam exempla inveniri, quae quamquam huic legi non subiecta sunt, tamen aliis de causis allitterationi subiungi possint; sed de hac re in inferiore parte huius capitis disseramus. Contra monendum est voces inveniri, quae primo quidem obtutu esse allitterationes videantur, sed, si rem diligentius perquirimus, huic generi subiciendae non sunt. Sunt enim nativae, ut ita dicam, allitterationes, quae omnino vitari fere non possunt, quo fit, ut iam vix sentiantur, quamquam negari non plane potest eas quoque, si maiori seriei vocum inseruntur, quae allitteratione coniunguntur, vim totius dicti augere. Sunt autem saepissime eiusmodi pronomina[7]), praepositiones, particulae aliaeque formulae, quae natura ipsa linguae efficiuntur, cf. *minus — magis*, *meus amor*, *facturum fuisse*, *rex Rutulorum* (1,2,1), *ipse ictus* (3, 9), *cum coniuge* (35, 4), *ita incurrisse* (37, 3), *in se saevitiam* (53, 5), saepissime exstat *Romana res*[8]) (cf. 52, 4) simill.

---

[7]) Woelffl. Allt. Verbdg. p. 6 adnotat omnino fieri non posse, quin ex XX vel XXII coniunctionibus quorumvis vocabulorum cum *meus* pronomine una per allitterationem dicatur.

[8]) In nominibus propriis summa diligentia adhibenda est, quamquam hae quoque allitterationes nonnunquam esse certae videntur; cf. 1, 7, 12 *Potitiis ac Pinariis*; 6, 4 *Palatium Romulus*, *Remus Aventinum* (Chiasmus!) etc. etc. In nominibus Romanorum saepissime exstare allitterationem antiquissimis temporibus Kellerus docet, cf. 1, 10, 1 *T. Tatium*; 12, 2 *Hostius Hostilius*. 6, 11, 2 *M. Manlius* 42, 1, 5 *A. Atilius*; ibd. *M. Matienus*; 3, 1 *Fulvius Flaccus*; 5, 10 *M. Marcellus*. 45, 1, 1 *L. Lentulus*; etc. Cf. Fried. Kauffmann, Deutsche Metrik², Marburg 1907, § 12 adn. 2: Außer der Reduplikation

Itaque ex innumerabili fere multitudine allitterationum multae, quae nobis certa et quaesita esse exempla videntur, casui tribuendae sunt[9]), ut ridiculum esset, si omnia exempla esse *rhetorica* affirmaremus. Quae omnia cum satis discerni fere omnino non possint, dicendum erit nobis omnia ea exempla allitterationes, quae proprie dicuntur, esse habenda, quae etsi casu sint posita, aures legentium non effugiant.

Neque minus exstant difficultates in re distribuenda quam in statuenda. Ea enim genera, quae nonnulli statui volunt, multitudinem exemplorum non exhauriunt; vulgo enim, ut Ranniger, dispertiunt totam materiam in 1) allitterationem per synonyma effectam, 2) a. syntheticam, 3) a. contrariam. Sed quid illis exemplis faciamus, quae ad vocum quamlibet seriem expanduntur? Nos aliam viam ingrediamur atque, ut ad Livium ipsum nos vertamus, statim agamus in

§ 2. De allitteratione, quae proprie dicitur.

A. De allitteratione synthetica.

Hoc est id genus huius figurae, quod illis, qui oculis tantum non auribus has facetias quaerunt, maxime occurrit, qua re mirari non possumus, quod a multis summa vi praedicetur. In omnibus autem allitterationis generibus difficultate tenebimur e mole materiae maxime idonea exempla repetere, nisi concedas, ut res in immensum serpat. Exempla autem non litterarum, sed librorum ordine afferam, quod ad nostram quaestionem maioris videtur momenti esse[10]): 1, 3, 1 *res Latina et regnum*; ibd. 10 *plus tamen*

zeigt sie (allitt.) sich in den Namen der zu einer Familie gehörigen Individuen (Segestes Segimerus Segimundus Segithancus, Sigmund Sigelint Sigfrit, Gibecke Günther Gernot Giselher, Heribrant Hiltibrant Hadubrand, Hengist Horsa). Wilh. Schulze, Zur Geschichte lateinischer Eigennamen, Berlin 1904 (Abhdlg. d. Ges. d. Wissensch. zu Göttingen N. F. V, 2) hanc rem neglexisse videtur.

[9]) Quod probari nulla re melius potest, quam quod si in scriptione quadam, quam composuimus, allitterationes indagamus, certe mirabimur nonnullis locis exempla huius figurae, quae quaesita non sunt, inveniri.

[10]) Exempla singulorum generum ex ternis libris afferam, ut eorum numerum obiter saltem cognoscas.

vis potuit quam voluntas patris aut verecundia aetatis; 5, 2 *per lusum atque lasciviam*; 7, 9 *ampliorem augustioremque*[11]); ibd. 10 *patremque ac patriam*[12]); ‖ 9, 13 *fas ac fidem*; ibd. 15 *parentium patriaeque* ‖; 10, 4 *fundit fugatque, fusum*[13]); 10, 1 *querellae*[14]) *civitates concitabant. nec . . . continebant, sed congregabantur . . . et . . . conveniebant*[15]); 12, 2 *animo atque audacia*[11]); 13, 8 *non modo commune sed concors*; 15, 2 *instructus intentusque*; 17, 1 *certamen regni ac cupido*; [17, 10 *faustum felixque*; cf. 28, 7]; 18, 4 *tetrica ac tristi*; ibd. 6 *publicum perpetuumque*. Sed ne in aliis Liviani operis partibus talia deesse videantur, affero ex libro VI: 1, 1 *dictatoribus decemvirisque*; 2 *publice privatisque*; cf. 11; 3, 3 *vigiliis vulneribus*; 4 *luctum lacrimasque*; 6 *conglobandi coeundique in unum aut arma capiundi*; 8 *poni arma et parci inermi*; 10 *inviolatum integrumque*; cf. 9, 12; 14, 4; ‖ 8 ‖; 16, 2; 7; ‖ 17, 2 ‖; 8 simill. Sequuntur ex libro XL: 2, 8 *regibus ac Rhodiis responsum*; 5, 7 *publicis — privatis*; 6, 3 *cohors custodesque corporis*; [8, 15 *patris patruique*[12]); 10, 1 *discerne dispice*; ibd. 9 *obligatam et obnoxiam*; 11, 3 *imbuti illinc et infecti*; 13, 3 *convivii, comisationis*; cf. 15, 11; 13, 6 *certamine et concursu*; 14, 2 *qua laetitia, quo lusu*; 2 *miseria haec et metus*] rell.

Quae cum in ceteris libris haud aliter usurpentur, statim, cum nonnulla admonenda reservemus, disputemus de insequente parte huius paragraphi, i. e.

B. De allitteratione vocum, quae lege aliqua grammatica artius coniunguntur.

Huius generis multo frequentiora sunt exempla quam prioris, quo fit, ut cum ea eligere tum certa atque quaesita comprobare et constituere difficilius sit, neque tamen fugere nos potest multa

---

11) De allitteratione a, ae, au, o vocalium disceptatio est inter viros doctos.

12) Nisi paronomasiae attribuere hoc mavis.

13) Forma reduplicationis coniungitur cum allitteratione.

14) De elocutione *qu* litterae cf. Seelmann l. l. etc.

15) Schmalz, Über den Sprachgebrauch des Asinius Pollio, Festschrift zur 36. Philologen-Versammlung, Karlsruhe 1882, p. 101: kein Silbenreim war bei den alten Dichtern so beliebt, wie der mit *con-* gebildete.

exempla, quae hic potissimum ex libris II, VII, XLI sumere in animo habemus, insigniora illis esse. Sed ipse sis iudex severus: 2, 1, 2 *libertas ut laetior esset*; 3 *pessimo publico*; 8 *concedente collega*; || 11 *concordiam civitatis*; 2, 4 *sollicitamque suspicione* || ; 9 *consensu civitatis*; 10 *civitate cessit*; 11 *collegam sibi comitiis centuriatis creavit*; 3, 6 *recuperandi regni*; 6 *adulescentium animos*; 4, 7 *omnem oppressere*; 5, 3 *matura messi*; 5 *sumptum supplicium*; cf. 8. 5, 37, 1 *moles mali*; cf. 4, 54, 4[16]). 7, 1, 6 *collegam consulis*; 6 *alternis annis*; 8 *tres tribunos*; 9 *vere vir*; 10 *titulo tantae*; 2, 2 *tertio tum*; 4 *motus more*; 12 *pollui passa*; 13 *parva principia*. 41, 1, 1 *a patre in pace*; ibd. *contrahere copias*; 2 *duumvir navalis venit*; 4 *ad proximum portum*; 6 *manipulos militum*; 2, 2 *in omnem occasionem*; 3 *maritimo munimento*; 4 *multo maiorem*; 5 *in castra confugissent*; 6 *reddere responsum*; 7 *passim personabat*; 9 *alius armatus*; etc. etc.

Quibus in exemplis nonnulla esse, quae rectius hinc removenda videntur, facile concedo; vides autem vel ex his, cuius momenti sit sententia viri doctissimi Geratewohl, praesertim cum duarum syllabarum voces inspicis. Neque tamen adducor, ut cetera omnia, quae accentu in prima syllaba non premuntur, removeam; personant enim certe hoc illo loco, praesertim cum duae vel tres litterae initio congruant vel cum sono leviore saltem syllaba prima prematur, aures legentium, qui Livi temporibus etiam intentiores nobis erant ad hanc rem; quibus concessis, si quis dicat allitterationes non omnes sentiri posse, rectum quidem hoc plane videtur neque ego id persuadere volui, sed satis est aliud exemplum aliorum, qui legunt, aures offendere, et aliorum scriptorum usum perquirentes, ut exempla afferam Caesaris vel Taciti[17]), vix tam extensos allitterationis fines inveniemus, id quod gravitatem atque pondus sententiae nostrae, plurima illorum exemplorum casui non esse attribuenda, augere videtur. Iam ut aggrediamur tertiam partem, quae artissime nonnunquam cum hac cohaeret, tempus vocat, qua re disputemus

C. De libera quam vocamus allitteratione.

Exempla huius capitis rariora sunt, quam illorum capitum, de quibus supra diximus, atque tamen satis frequentia: 3, 1, 5

[16]) cf. quae adnotavit Munro, ad Lucreti III, 1056 (Cambridge 1886).

[17]) Nonnullis tantum locis usum eorum excussi.

civitatem in concordia; 3, 3 *timeri poterat agrestesque pavidi incidentes portis non populationem nec praedonum parvas manus*; 3, 7 *qui qua*. Talia saepe componuntur et certum videtur hoc soni gratia factum esse, cf. 4, 2, 5 *quas quantasque*; 26, 10 *quo quid*; 3, 3 *quibus quid aliud quam*. 9, 33, 9 *quemquam qui*; [34, 9 *qui, quid*; 14 *quam quibusdam*]; 36, 6 *quam quod*; cf. 10, 18, 5; ibd. 14 *quam quicquam*; 19, 19 *quam cum qua*. [40, 46, 4 *quam quod*]. 41, 25, 8 *quo quaeque*. 42, 33, 3 *quam quos*[18]), etc. Sed revertamur ad lib. III: 5, 1 *motus multique*; 5 *persequi posset*; 8 *cum compulsi in castra*; 11 *exercitus egregia*; 14 *terroribus in triduum*. 8, 1, 3 *prius ad Privernum profectus*; ibd. *Privernatibus praesidio*; 4 *in posterum diem proelium parant*; 5 *in acie amisissent*; 6 *cum inter caesa hostium corpora tum in castris*; ‖ 9 *suos semper*; 2, 3 *populo pacis* ‖; 12 *arcendo abalienarent*; 3, 1 *ferociores fecit*; 3 *tolli ab tergo*. 42, 1, 4 *praetor provinciam*; 6 *priusquam in provincias*; 6 *possidere privatos paulatim proferendo*; 7 *publice pararent*; 2, 1 *Macedoniam missi*; ibd. *alii abesse*; 3 *peti precationibus*; 7 *fieret feriaeque*; 3, 3 *atque asportarent*; 5 *partibus postulabatur*; 5 *accersitus in curiam censor*; ‖ 7 *more maiorum* ‖; rell.

Pauca his tantum addenda videntur, cum ipsa exempla satis gravia sint. Nonnulla exempla certe casui esse tribuenda facile conceditur, sed si omnia exempla allitterationis, quae his tribus generibus continentur, in unum conferuntur et colliguntur, certe dici poterit

I) Livium quam diligentissime allitterationem excoluisse.

II) sententiam nostram ipsorum exemplorum multitudine muniri et stabiliri.

§ 3. De assonantia quae dicitur.

Assonantiam nominamus allitterationem quandam, quae non initio duorum vocabulorum exstet, sed cum duae pluresve litterae in parte interiore complurium vocum eundem efficiunt sonum, qui usus cum allitteratione, quae proprie dicitur, saepe coniungitur; atque quamquam non raro talia paronomasiae sunt simillima, tamen

18) Non multum absunt 7, 16, 5 *tuus tibi*. 43, 18, 11 *sua secum*, quae paronomasiae subiunxi; cf. c. XXXV adn. 7.

ab hac figura segreganda sunt[19]). Geratewohlii praecepta in hac rariore re, in qua casus minus valere videtur, summa vi esse premenda censeo. Distributionem, quam supra adhibuimus, hic neglegamus atque statim nos ad recensenda exempla vertamus: 4, 10, 1 *si solvendae obsidionem*; || 17, 3 *exceptam causam* ||; 5 *respicere spem*; 18, 3 *campi procedunt*; 20, 2 *carmina incondita*; ibd. 7 *subtrahere testem*; || 24, 3 *imponi non posset* ||; 7 *domum est reductus.* [9, 1, 6 *perfunctos iam fato*]; 2, 10 *pergunt repetere*; 6, 7 *fungitur officiis*; [9, 11 *auferre festinant*]; 14, 6 *repente ad pugnam*; 21, 3 *patefactis repente portis*; 23, 7 *repente pugnae proposuit*; [10 *iuvare velint*]. 43, 2, 4 *vocatis in curiam*; || 4, 9 *causam excidii* ||; 6, 10 *formulam referre*; 10, 3 *futuros afore fraudem.* 44, 28, 12 *effusa fuga*; 30, 13 *solveret obsidione*; etc.

Haec satis sunto de assonantia. In hac quidem re facillime fieri posse, ut in errores incidamus, nemo neget neque saepius quin a mea sententia abhorreas dubito; tamen id constitutum videtur hoc quoque genus a Livio consilio esse adhibitum.

§ 4. De insignioribus quibusdam exemplis.

Huc referre velim eos locos insigniores quibus allitteratio per plura vocabula ducitur et nonnunquam cum assonantia coniungitur. Legimus autem: 3, 3, 9 *censa civium capita centum quattuor.* 7, 11, 8 *procellis primo parvis, postremo*; 22, 7 *ceterum cum censoribus creandis indicta comitia*; 36, 9 *consul classico ad contionem convocat*; 4 *custodibus caesis ad castra consulis.* 9, 2, 1 *circa Caudium castra quam potest occultissime locat*; 37, 6 *cum cibum capere consul*; 7 *curati cibo corpora quieti*; 42, 4 *creatus consul cum collegae.* 10, 1, 3 *sollicitatos compertum capitaque coniurationis eius quaestione ab consulibus ex senatus consulto*; 34, 13 *cognitum ex captivis est communi consilio*; 36, 8 *viros invenies nec vivo consule tuo nisi victor*; 38, 6 *Capuae clandestinum cepissent consilium*; 8 *circa caesae et circumstantes centuriones*; 40, 1 *spei pleni clamore consentienti pugnam poscunt*; *paenitet in posterum diem dilatum.* 40, 31, 9 *sine certamine capiuntur castra. castris captis*[20]); 45, 47 *atrocibus celebratae cer-*

[19]) Straubium hoc neglexisse supra admonui.

[20]) Coniunguntur in hoc exemplo allitteratio, chiasmus, reduplicatio.

taminibus. comitiis confectis, ut traditum antiquitus est, censores in campo ad aram Martis sellis curulibus consederunt. 41, 5, 8 *paludatus Pisas in provinciam est profectus.* 42, 18, 4 *cum primum tuto potuit, profectus Pergamum, praeter pristinum.* ‖ 44, 14, 10 *multa eius incommoda belli sentire mari interim intercluso; inopem insulam esse* ‖. 45, 20, 10 *prius cognoscerent causam quam condemnarent*; etc.

Afferunt viri docti orationem legatorum Faliscorum (5, 27, 12), quae allitterationis exemplis abundet. Sed nescio an rectius statuatur polyptoto et paronomasia hanc brevem orationem maxime esse ornatam, sed quoquo modo res se habet, e iudiciis inter se discedentibus, quam arte omnes hae figurae inter se coniunctae sint, apparet.

Illis insignioribus exemplis sententiam meam, quam toto hoc capite protuli, non paulum confirmatum iri spero[21]), nam supra non eis exemplis sum usus, quae ad persuadendum maxime sint idonea, sed ex locis quibuslibet omnia et leviora et graviora collegi, ut, quod iam supra dixi, frequentia allitterationis satis eluceat.

§ 5. De usitatioribus exemplis.

Sed priusquam veniamus ad exitum huius capitis, liceat nonnulla adicere, quae saepius leguntur, id quod haud scio an voluptatem aliquam praebeat.

2, 42, 2 *consul crearetur*; cf. 43, 11; 64, 2. 3, 6, 1; 8, 2; 19, 2; 22, 1; 55, 1; 11; 64, 6. 40, 35, 1. 41, 8, 1. 42, 28, 5. 44, 17, 4 rell.

4, 13, 12 *dictatorem dicturum*; cf. 17, 8; 21, 9; 10; 26, 5; 7; 8; 11 etc.

1, 22, 5 *in diem indixere*; cf. 42, 10, 15. 2, 35, 2 *diem dixissent*; cf. 35, 6; 41, 11; 52, 3; 6; 61, 2. 3, 9, 9; 11, 9; 13, 4; 24, 3; 31, 5; 33, 10; 58, 10; 59, 2. 43, 8, 3; 16, 11. [44, 22, 9]. 45, 12, 10 etc. 3, 58, 6 *prodicta dies*; cf. 6, 20, 11. 7, 14, 5 *in diem edicitur*; cf. 40, 26, 6. 41, 17, 8[22]).

---

[21]) Nisi severius iudicatur, ut a Müllero (progr. II) de 32, 29, 1 *priusquam consules praetoresque in provincias proficiscerentur, prodigia procurari placuit,* qui hanc allitterationem casui tribuit.

[22]) cf. H. J. Müller, Jahresber. des Berl. ph. Vereins XV (1889), 24.

3, 10, 9 *dilectus edicitur*; cf. 3, 41, 7; 57, 9. 4, 26, 12. 7, 28, 3 *iustitio indicto dilectus*.

2, 13, 5 *dono dedere*; cf. 14, 3. 3, 57, 3. 4, 51, 8. 6, 41, 10. 40, 17, 2. 41, 20, 7. 42, 28, 9; 61, 1. 45, 33, 4 etc.; cf. 7, 10, 14 *addidit donum*.

[1, 17, 10 *faustum felixque*; cf. 28, 7]. ‖ 2, 49, 7. 3, 34, 2 ‖; [54, 8]. 42, 30, 10 etc.

1, 9, 15 *functus officio*; cf. 35, 4. 2, 36, 8. 9, 6, 7. [4, 40, 6]; cf. 45, 14, 2.

1, 10, 4 *fundit fugatque*; cf. 2, 6, 11; 31, 1; 33, 4; 53, 3. 3, 8, 5; 9; 11, 8; [67, 5; 68, 13]. 9, 22, 6; 44, 13. 10, 19, 19 etc. Cf. 40, 28, 4 *fuit; fuga deinde effusa et fugientium*; 48, 3 *effuse fugerunt*; simill.

1, 15, 2 *instructus intentusque*; cf. 3, 8, 8. 6, 29, 1. 10, 43, 2.

2, 12, 14 *intactum inviolatumque* [23]); cf. 13, 8. 6, 3, 10. 7, 20, 7. 10, 27, 9 *integer et intactus*.

‖ 9, 33, 9 *legem latam* ‖; cf. 3, 31, 7; 46, 4; 58, 2. 5, 25, 13; 29, 1; 46, 11. ‖ 4, 24, 5 ‖ etc.

1, 15, 5 *pacem petitum*; 37, 6. 3, 1, 8; 24, 10. 5, 24, 3. [7, 40, 5]. 9, 41, 3; 43, 20; 45, 2; 18. ‖ 10, 16, 5 ‖; 37, 4. 40, 27, 9. 41, 10, 4. 42, 62, 10.

1, 7, 10 *patrem ac patriam* [12]); ‖ 9, 15 *parentium patriaeque* ‖; cf. 25, 1. [7, 10, 4]. 9, 5, 9 etc.

1, 24, 4 *cum patre patrato populi*; ibd. 6; 7; [32, 11, 11]; cf. [40, 52, 5. 44, 25, 6 *patrandae pacis*].

1, 26, 5 *patribus plebique*, quod rectius hinc excludi videtur; cf. 40, 1; 42, 3. 2, 5, 7 etc.

1, 56, 4 *pavore perculit pectus*; cf. 27, 10. 2, 37, 9. 3, 8, 9 *praeparatis animis repentino pavore perculsos*; 38, 6. 7, 23, 6; cf. 42, 67, 1 *Persea perculit* simill.

3, 19, 1 *pax parta*; cf. 24, 11. 5, 1, 1. 10, 2, 2; [37, 8].

1, 9, 11 *primoribus patrum* allitteratio esse non videtur; cf. 28, 7. ‖ 2, 44, 4 ‖ etc.

1, 20, 6 *publica privataque* saepissime invenitur, cf. 29, 6; 34, 12; 39, 3. [42, 41, 4] rell.

---

[23]) Voces cum *in* privativo compositae saepius per allitterationem coniunguntur.

1, 32, 3 *responsum reddunt*; cf. 2, 15, 2; 45, 8. 3, 50, 12. 8, 23, 3. 41, 2, 6. 45, 12, 5 rell.

1, 22, 1 *ad interregnum res rediit*; 4, 50, 8. 6, 1, 5; 5, 6. 7, 17, 10; 21, 2; 25, 11; 28, 9. 9, 7, 14 etc.; cf. 41, 22, 6 *in regnum rediit* simill.

1, 22, 4 *res repetendas*; ibd. 5; 7; 32, 3; 5; 6; 14. 3, 25, 6. 4, 30, 13. 42, 25, 1 etc. 2, 6, 5 *repetendum regnum.*

2, 5, 5 *sumptum supplicium*; ibd. 8. 3, 13, 5; 5; 18, 10. 4, 15, 4.

1, 26, 5 *tamen tristis*; 29, 6 *t. templis.* 2, 42, 2 *t. tenuere*; 42, 11 *t. terrores*; cf. 45, 11; 47, 9. 4, 25, 14. 6, 17, 8; 32, 10. 9, 17, 2. 10, 35, 2. 45, 38, 13 etc.

2, 7, 1 *tantus terror*; cf. 53, 1; 55,9; 56, 14. 3, 4, 9; 5, 4; 6, 8; 26, 5; 42, 6. 4, 58, 3. 7, 1, 10 etc. 42, 13, 2 *mare tantum traiecissem*][24]. 44, 31, 9 *tantum intulerunt terrorem* etc.

1, 16, 2 *tam turbido*; 4, 41, 12. 9, 4, 7. [45, 23, 17] simill. cf. 10, 1, 6 *ita intus.* 44, 3, 3 *adeo ardua et aspera* simill.

1, 22, 6 *tempus terunt*; 27, 6; 57, 9. 2, 30, 10; 47, 5. 6, 23, 5; 34, 6. 42, 66, 2. 43, 23, 6. 44, 2, 2 etc.

Certe miraberis tam parvam pro portione esse usitatiorum allitterationum multitudinem; nonnulla fortasse addi posse non nego, sed vulgariora sunt, quam quae afferantur. Contra alia me res obstupefecit; accidit enim creberrime, ut Livius *atque* coniunctione utatur, cum vox praecedens vel insequens ab *a* littera initium capit. Saepius hic usus invenitur, quam qui plane possit praetermitti; cf. ut nonnulla tantum afferam: 6, 10, 5 *armati atque.* [8, 23, 8 *atque amicos*]; cf. c. XXIV adn. 52; 33, 21 *atque arcem.* 40, 16, 6 *arma adimi; atque.* ‖ 42, 6, 8 *atque amicitia* ‖ etc. Quis autem dicat hanc allitterationem elisione adhibita deleri et quaesitam quodam modo non esse? Accidit quod similiter, quamquam haec rariora sunt, res se habere videtur in aliis particulis, *et*: 3, 2, 11 *et experiri* etc. cf. c. XXIV; *que* hinc excludendum videtur, cum aures vix offendat, quamquam nonnulla exempla rem probare videntur, cf. [5, 54, 3 *colles campique*] simill. *adversus*: 40, 49, 7 *vos adversus veteres.* 42, 8, 5 *arma adversus*; *deinde*: 40, 17, 6 *deinde dimisso*; *prope*: 42, 66, 6 *prope ipso proelio*;

---

[24]) Cum in multis allitteratio fortasse nativa sit, in hoc exemplo simill. collocatione verborum videtur quaesita esse.

tum: 7, 2, 2 *tertio tum*. 9, 21, 5 *tum totam*. 42, 45, 4 *tum in terris*: etc. Haec sententia mea primo quidem obtutu fortasse improbabitur, sed si numerum ceterorum exemplorum supra allatorum in memoriam revocamus, nescio an probetur; cui non repugnat, quod Livius nonnullis tantum locis hoc allitterationis genere est usus, nam quis dubitat, quin crebriore usu haec allitteratio contrita sit atque maiorem molestiam quam delicias effecerit?

§ 6. Conclusio.

Saepissime et copiosissime Livium hac figura usum esse ex numeris allatis, etsi aliter atque nos de exemplis allitterationis colligendis censeas, cognosci potest. Quibus expositis priusquam nostram proferamus de Livi usu allitterationis sententiam, liceat duo iudicia virorum doctorum afferre, qui multum, quod ad hanc rem attinet, inter se differunt. Atque O. Keller p. 30 de allitteratione Liviana haec verba fecit: Es läßt sich nicht leugnen, daß die Manier des Livius . . . den Höhepunkt der lateinischen Allitteration darstellt, die wirklich geschmackvolle, angenehm wirkende Verwendung dieser rhetorischen Figur. Contra Petzke p. 77 haec dicit: *Ceterum adnotandum est haud raro vitiosam fieri allitteratione nimis adamata Livii orationem, quae non iam ornata neque splendens incedat, sed malo litterarum saepius repetitarum sono legentium aures offendat.* Vides quam difficile sit iudicare. Sed peccavit Petzke certe in eo, quod iniquis verbis utitur, quamquam ne unum quidem locum in iudicium vocat. Sed quoquo modo res se habet, mihi quidem fatendum est me malo aliquo litterarum sono non saepe esse offensum et, si hoc fiebat, id tenendum videbatur ne elegantissimum quidem scriptorem in tot librorum opere pravitatem quandam vel, ne acerbi simus, asperitatem quandam parvam effugere interdum potuisse[25]).

Neque minus difficile est de numeris exemplorum aliquid certi proferre, nam certe constat in nulla figurarum, quas adhuc tractavimus, casum et naturam ipsam linguae idem valere atque in allitteratione. Qua re veniam spero me impetraturum, quod certos numeros non adscripsi; neque tamen negari posse videtur

---

[25]) Huc trahas sis 2, 17, 4 *gesta re reditum*. [3, 19, 7 *hos hostes*].

in omnibus libris eundem fere colorem allitterationis inveniri neque quidquam in universum interesse inter simplicem narrationem et orationes.

Nunc, ut ad ea accedamus tempus vocat, quae Graeci voce

XXXV. Paronomasia[1])

comprehendunt, quibus in exponendis aliam distributionem adhibeamus atque Straubius, qui cum alia tum figuram etymologicam huic generi subiungit, quam propriam figuram esse statuimus.

§ 1. Atque primum agamus de hoc huius figurae genere, quo variantur coniunctiones[2]), quibuscum verba quaedam composita sunt, cui simillimum est, cum parvo intervallo redit simplex post verbum compositum[3]), vel cum eadem stirps ita variatur, ut modo substantivum modo adiectivum modo verbum legamus.

Atque priusquam exempla prioris generis afferamus, liceat ad-

---

c. XXXV. adn. [1]) Straub 136. Groß 165. Gerb. II 1, 225. Dzial. 17. Theobald 2. Buchhold 24. Schuch 22. Pretzsch 43. Riedel 5. Kühnast 330. Robertson 20. Hartung, Phil. 33 (1874), 418. O. Raebel, De usu adnominationis apud Romanorum poetas tragicos, Hal. Sax. 1882, p. 1. Woelfflin, Sitzgb. d. Kgl. bayr. Ak. 1887, II, 187. Chr. Herwig, Das Wortspiel in Ciceros Reden, progr. Attendorn 1889. Leo, Analecta Plautina. De figuris sermonis II, prooem. Gttg. 1898. A. Reckendorf, Über Paronomasie in den semitischen Sprachen, Gießen 1909, qui multa habet, quae eum quoque adiuvent, qui remotiores illas linguas intellegere non potest; cf. p. 10: Es ist natürlich nicht möglich eine strenge Grenze zwischen freier und notwendiger P. zu ziehen. — Wenn die Zahl der P. eines Schriftstellers das in seiner Sprachgemeinschaft, in seiner Zeit und in dem betreffenden Genre vorherrschende Durchschnittsmaß überschreitet, kann man hierin einen Anlaß ästhetischer Art erblicken. Dagegen ist es unstatthaft, ganze Sprachen in Bezug auf die Häufigkeit ihrer P. ohne weiteres zu vergleichen. Disputatione conscripta a Casanowicz, Paronomasia in the Old Testament, Journ. of Bibl. Lit. XII, 105, quae a Reckendorfio laudatur, non usus sum. — De hac quoque figura mirae nonnunquam sententiae occurrunt, cf. Friedersdorff ad 26, 17, 5: *misit, qui promitteret, si inde emissus foret.* Vir d. malum effici sonum hoc loco putat, si verba eius recte interpretor: Die Wiederholung der Worte gleichen Stammes hatte für Livius offenbar hier keinen häßlicheren Klang als etc. Alio loco idem paronomasiae genus „absichtlich" nominat, cf. ad 41, 11.

[2]) Quint. 9, 3, 71.

[3]) Quem usum in sermone populi frequentem esse docet J. H. Schmalz Über die Latinität des P. Vatinius in den . . . erhaltenen Briefen, progr. Mannheim 1881, p. 47.

monere hac in re casum minus valere videri, quam in altera huius paragraphi parte. Iam exempla afferamus[4]: 1, 2, 1[5]) *praelatum — intulerat*; 6, 1 *avocasset — advocato*; 3 *erant — supererat*; 7, 4 *abegisse — agens*; 11 *accipere — capta*. || 9, 4 *deos adfuisse et non defuturam virtutem* ||; 7 *spectaculum — exspectatam*; 8 *convenere — venit*[4]); 10 *dedita — dato*; 11 *deferebant — ferunt*; 10, 4 *duce — reducto*; 19, 7 *nefastos dies fastosque*. 2, 3, 3 *amicum atque inimicum*; 4, 3 *sumpsissent — absumunt*; 45, 6 *detur — abdenda — adderent — redditur*. 4, 58, 1 *repeti — petiere — repeterentur — peteretur*. [5, 3, 8 *interdictis — dicto*; 18, 4 *reficitis — factos — adfectae — fecistis*]. 7, 2, 13 *ab sano initio in hanc . . . insaniam venerit*. || 10, 24, 14 *concessum — cedere — cessurum* ||. [40, 15, 8 *nec hodie, ut prosit . . .; ne obsit tantum . . .*]. 41, 18, 4 *animantium — inanima*. 42, 1, 7 *sacrificii . . . faciundi causa profectus . . . honorifice . . . factum . . . proficisceretur*. 43, 17, 8 *captis — acciperent*. 44, 31, 3 *flumina — praefluens — confluentes — flumini*. [45, 23, 6 *ne praestaremus, per vos stetit*] simill.

Quae cum satis ad demonstrandam vim huius generis sint, vertamus ad alterum, quod initio huius paragraphi constituimus. Natura fit, ut hoc genus, quod cum priore saepissime coniunctum est, uberius sit illo neque raro fit, ut leviter quidem inspicienti exemplum consilio positum videatur, quod casui tribuendum est. Sed brevis sum, cum omnes, qui nonnulla tantum capita operis Liviani leviter percucurrerunt, exempla facillime inveniri omnino non possit fugere: 1, 7, 10 *patrem ac patriam*; [23, 9 *confectos simul victorem ac victum adgrediantur*][6]); 25, 11 *victoria . . . vic-*

[4]) Liceat hoc loco aliquid de ratione adnotare, quam in colligendis exemplis servavimus. In universum eas habui certas fere paronomasias, quae non longiore intervallo dirimuntur quam, ubi plurimum est, duabus lineis textus Teubneriani. Sed occurrunt exempla, in quibus ab hac norma aberrare quodam modo cogimur. Eiusmodi est 1, 9, 8 *multi mortales convenere, studio etiam videndae novae urbis, maxime proximi quique, Caeninenses, Crustumini, Antemnates; iam Sabinorum omnis multitudo cum liberis ac coniugibus venit*: exstat disiunctio, his ipsis verbis *convenere — venit* effecta. Accedit, quod haec verba per chiasmum ponuntur, id quod ut aures magis sono tangantur, efficit. Similia non raro invenias, atque causae variae sunt, quibus commoti constitutam regulam nonnunquam neglegimus.

[5]) cf. XXXIII adn. 6.

[6]) Müll. comparat Sall. Iug. 79, 4 *victos victoresque defessos alius aggrederetur*.

tusque . . . victori obicitur; 39, 5 *serva natum eum ipsum servisse*; 48, 2 *filius regis regni heredem.* 2, 2, 7 *tuas tibi*[7]); 9, 3 *regna reges defendant*; 28, 2 *consules — consulere — consulari — consules*; 30, 14 *victores cum victis*; cf. 44, 12. 4, 7, 4 *iniuria — iudicium — iure — iniuriae*; 17, 1 *defecere – defectioni — interfecerunt – facinus*; 18, 1 *pugnam — pugnaturum — pugnam — oppugnaturos — pugnae.* [5, 27, 12[8]) *victoria — victi — victori — victuros — victoriam — victoriam*]; ‖ 30, 3 *victrice patriam victam mutari* ‖ — *patres — patriam — patres.* [40, 10, 6 *regem regnumque*; 14, 4 *capta domo dominum interfecturus eram*]. 41, 22, 4 *ius iudiciumque.* 42, 52, 4 *armis — armatos.* 43, 22, 3 *segniores facti locum adversae factioni dederant.* 44, 5, 10 *cum ab nulla parte hostis terruisset, locorum asperitas hostiliter vexavit* etc.

Vel ex his exemplis cognosces hoc genus paronomasiae, quod nonnunquam levius est, apud Livium satis crebro inveniri. Concedendum videtur saepius casum vel totam rationem narrandi vel materiam effecisse, ut scriptor vocibus eiusdem stirpis brevi intervallo uteretur, sed etsi hoc confitemur et statuimus multa exempla esse non rhetorica, fieri non poterit, quin omnes eiusmodi loci ipsorum multitudine nostram sententiam de concentu et consonantia similium verborum firment. Atque cum neglegenda non sunt, quod a nostri temporis iudicio et sensu abhorrent, tum maioris momenti videbuntur, cum alias quoque paronomasias legi apud Livium comprobaverimus[9]).

§ 2. Nunc ad describendum usum progrediamur, qui non raro apud Livium invenitur, de quo viri docti dissentiunt, utrum paronomasiae an figurae etymologicae an polyptoto tribuendus sit, qui ne allitterationi quidem dissimilis est. Straubius hanc rem plane

---

[7]) Eiusmodi exempla non rara sunt: cf. [7, 13, 8 *vos vestra*; ibd. *si se sua*]; 16, 5 *tuus tibi*; simill. c. XXXIV adn. 18. Cf. Kämpf, De pronominum personalium usu et collocatione apud poetas scaenicos Romanorum, diss. Berol. 1885, p. 16. Landgraf, Arch. f. l. L. VIII (1893), 43. Leo, Bemerkungen über plautinische Wortstellung und Wortgruppen, N. d. G. G. 1895, p. 432.

[8]) Haec est oratio Faliscorum legatorum, quam supra leviter perstrinxi (c. XXXIV § 4).

[9]) cf. Kühnastii verba: Daß bei andern Schriftstellern auch die Paronomasie bei weitem nicht so häufig ist, wie bei Livius, bedarf keines Nachweises durch Zahlen.

fere neglexit, quod frequentissima sit; sed nescio an hoc ita se apud Ciceronem habeat, apud Liv. certe res digna videtur, quae breviter tractetur. Extant enim consociationes duorum vocabulorum eiusmodi, ut creberrimam formam afferam: 1, 5, 7 *aliis alio itinere iussis.* 2, 21, 4 *aliter apud alios*; 23, 11 *alius alibi*; 40, 10 *perisse tradunt alii alio leto*; 53, 1 *dispersi alii alia excurrunt*; cf. 54, 9. 4, 26, 7. 5, 42, 3. ‖ 6, 10, 8 ‖. 7, 8, 2. 8, 4, 1. 9, 2, 2. 10, 5, 3. 40, 4, 15. 42, 2, 1. 44, 33, 1 etc. Huiusmodi coniunctio artior est, quam quae polyptoto et allitterationi, levior tamen, quam quae figurae etymologicae attribuatur. Neque aliter comparata sunt haec[10]): 1, 3, 11 *addit sceleri scelus*; cf. 47, 1; 7, 9 *facinus facinorisque causam*; 9, 4 *homines cum hominibus*; 16, 3 *deum deo natum*; [23, 9 *utri utris*; cf. 40, 55, 3]. 1, 40, 3 *servus serva natus*; ibd. 6 *alter alteri*; cf. [40, 8, 18]. 41, 16, 7 etc. 1, 46, 7 *malum malo aptissimum*; cf. 7, 4, 7. 2, 6, 5 *duo duarum civitatium exercitus*; [12, 9 *hostis hostem*]; cf. ‖ 9, 37, 6 ‖. [2, 40, 8 *libera in libera patria mortua essem*]. 3, 15, 1 *nihil novi novus annus attulit*; 55, 14 *tribunus plebis plebem rogavit plebesque scivit.* 4, 20, 6 *dux duci detraxit*; ‖ 32, 6 *castra castris coniunxissent* ‖; cf. 10, 32, 5. 4, 33, 3 *magistro equitum equitibusque*; 55, 3 *singuli singulos*; cf. [6, 18, 6]. ‖ 42, 3, 9 *ruinis templorum templa aedificantem* ‖; [14, 6 *crimina criminibus iunxisset*; 41, 11 *arma armis*]; 56, 5 *obsidio locum alteri obsidioni dedit.* 44, 1, 12 *exercitus cum exercitibus*; ibd. *vires cum viribus*; 31, 15 *ab rege rex.* 45, 41, 10 *qui ante se captivos captivus ipse duci liberos vidit*]; 43, 2 *non spolia spoliis, non pecunia pecuniae, non dona donis comparari poterant* simill.

Quibus ex exemplis facile cognosces Livium in hac re copiosum fuisse et ei non parvo opere studuisse, quamquam in libris decadis V hic usus paulo rarius inveniri videtur. Adnotandum est hoc genus praecipue de rebus militaribus adhiberi. Polyptoto aliisque id esse simillimum apparet, qua re cavendum est, ne cum his commutetur. Neque aliter res se habere videtur leviter inspicienti in eis formis, quae elegantissima sunt paronomasiae exempla, ad quae nunc accedam.

[10]) De hac re disseruit Landgraf, Arch. f. l. L. V (1888), 162. Heinze ad Lucr. III, 364 (Lpzg. 1897) hunc usum „national-römische Neigung“ nominat.

§ 3. Tractemus autem hoc loco ea exempla, quae germanice complectimur propria notione „Wortspiele“, quorum duo videntur genera statuenda. Atque primum de eis formulis agamus, quae a Cic. or. 135 sic describuntur: *continenter unum verbum non in eadem sententia ponitur*[11]. Sed satis raro hic usus invenitur, quamquam confitendum videtur nonnulla fortasse exempla me praeterisse et polyptoto subiunxisse; haec autem paronomasiae adiunxi: 2, 18, 2 *parvaque ex re ad rebellionem spectare res videbatur*; 52, 5 *cum capitis anquisissent, . . . multam dixerunt. ea in caput vertit*; cf. adn. Muell. 5, 46, 7 *discriminaque rerum prope perditis rebus servabant.* [6, 26, 7 *quod ad crimina attinet, quibus moti bellum indixistis, etsi . . . confutare nihil attinet*]. 8, 39, 9 *pedes restantes ac circumventos cecidit, ab equite strages est facta, inter quos et ipse imperator cecidit.* 9, 2, 15 *ne advocantes quidem in consilium, quando nec consilio locus esset.* [40, 15, 9 *nullam deprecor poenam; ne conflagrem, deprecor*]; 29, 9 *studiosus legendi libros; . . . scribam cum quaestor in decuriam legerat.* 42, 51, 8 *mixto generi hominum praeerat. regii is generis ferebatur.* 43, 2, 10 *dicenda . . . causa esset, excusati exilii causa*; cf. 5, 5; 20, 4 *castella, quae receperat. . . . in Macedoniam sese recipit*; cf. 44, 40, 8; 26, 14 *quorum multitudinem ipsi non timeant. apparebat omnibus mercedem in multitudine timere*[12]; 31, 6 *prima successerant prospere; . . . ad moenia succedit* etc.; quorum exemplorum nonnulla posse in dubium vocari concedo.

Alterum genus, quod ab auct. ad Heren. 4, 21, 29 adnominatio nominatur, est, *cum ad unum verbum acceditur cum mutatione unius aut plurium litterarum.* Natura ipsius rei fit, ut haec figura, cum parva tantum esse illa mutatio possit, nonnunquam homoeoteleuto simillima sit: 1, 9, 13 *incusantes violati hospitii scelus deumque invocantes*; [12, 8 *vicimus perfidos hospites, inbelles*

---

[11]) Auct. ad Heren. 4, 14, 20 *traductionem* vocat, cuius duo internoscit genera, unum quod cum Ciceroniano illo congruit, alterum cum vox quaedam sic repetitur, ut maneat notio; quod genus, cum saepe a polyptoto vix discerni possit, neglexi; sunt autem haec talia: 43, 22, 10 *prius obsidentes quam obsessi.* 44, 34, 1 *cum . . contione advocata pronuntiasset, adiecit urbanae contioni convenientem orationem*, cf. adn. Weißenb. 45, 27, 9 *rex ille regum* simill.

[12]) cf. adn. Weißenb. ad 27, 1: *multitudine* ist wahrscheinlich absichtlich wiederholt, um mit Sarkasmus anzudeuten, daß allerdings die Menge, jedoch nicht in der von dem Könige vorgegebenen Beziehung ihn schrecke.

hostes]; 58, 8 *hostis pro hospite.* 6, 26, 3 *hospitaliter magis quam hostiliter.* 1, 14, 6 *excitus Romulus . . . exercitum eduxit*; [47, 5 *fratris similior quam patris*; cf. 40, 8, 18; 10, 8]; 23, 3. 1, 54, 10 *nec consilio nec auxilio*; cf. 9, 2, 15. ‖ 2, 29, 9 *lascivire plebem magis quam saevire* ‖. 3, 70, 14 *spreti aut non sperati.* 4, 29, 6 *nec libet credere et licet*; 49, 10 *minus praedicatione tribuni praedae fuerit.* 5, 2, 1 *in obsidione quam in oppugnatione*; 26, 5 *partim artis partim arduis viis.* 6, 22, 7 *vegetum ingenium in vivido pectore vigebat virebatque integris sensibus.* [7, 40, 4 *gloriam non victoriam*]. 8, 29, 5 *potuit — docuit*; 38, 12 *iam viris vires deerant.* 9, 14, 5 *perdere prius quam perire*; cf. praef. 12. [10, 7, 10 *non cum capide ac lituo, non capite velato*]; 19, 8 *non orator sed imperator*; 35, 3 *conserendas manus. minus cladis* e. q. s.; [28, 13 *quid ultra moror familiare fatum? datum hoc nostro generi est.* 40, 52, 6 *fusa contusa*]. 42, 63, 7 *facibus — fascibus.* [44, 22, 2 *consul sum consalutatus*].

§ 4. Haec erant, quae de paronomasia proferrem. Saepissime eam inveniri neque Livium consonantiam illam decantatam vitare voluisse satis hic quoque, ut iam supra in polyptoto atque allitteratione, probatum est. Mirum videtur, quod nonnullis locis, qui aliis figuris non carent, exempla rarissima sunt, cf. 9, 11, 1 sqq. et cap. 17 sqq. De numero exemplorum difficile est certi aliquid dicere eisdem de causis, quas in priore capite protulimus, sed temerarium non videtur statuere inter singulos libros maiores differentias non intercedere idemque valere, si in universum iudicamus, de simplici narratione et orationibus innexis, in quibus insigniora exempla esse crebriora videntur.

Paronomasiae affinis est

XXXVI. Figura etymologica[1]),

quae dicitur. A Landgrafio (p. 8) haec figura ita definitur: *compositio duorum congenerum vocabulorum, quae item grammaticae*

c. XXXVI. adn. [1]) Straub 137. Volkm. 479. Kraffert 725. Stolz-Schmalz[4] 675. Paldamus 8. Diller 28. Abbot 76. Lobeck, De figura etymologica, 1832, quae dissertatio exstat in Paralipomenis grammaticae Graecae, Lips. 1832. Seyffert-Müller ad Cic. Laelium[2], Lpzg. 1876, p. 317. F. Leyffholdt, Etymologische Figuren im Romanischen, Erlg. 1884; cf. Woelfflin, Arch. f. l. L. I (1884), 606. Schmalz, Jahrb. f. kl. Ph. 145

legibus artissime inter se conexa unam eamque amplificatam atque disertissimam notionem efficiant. Huc ea quoque trahenda esse puto, quorum in sono et conformatione talis ratio videtur inesse, quamquam re vera non inest, quae locutiones a Landgrafio pseudoetymologicae[2]) appellantur. Sed cum natura atque indoles huius figurae satis videantur perspicuae, transeamus ad exempla recensenda. In exemplis autem afferendis ordinem litterarum servabimus atque verba composita semper cum simplicibus coniungemus:

2, 58, 7 *agi agmen*; cf. ‖ 3, 10, 12 ‖. 6, 28, 2. 7, 37, 6. 3, 8, 8 *circumacto agmine.* 9, 13, 4 *coacto agmine*; cf. 42, 10, 8. 3, 20, 1 *in peragendis* (sc. actionibus). 42, 44, 8 *peractis quae agenda erant.*

43, 4, 4 *agrum peragravit.*

8, 39, 16 *bellum bellatum* (apud Hertz 40, 1).

[3, 17, 6 *arcem captam recepisti*]. 4, 61, 8 *milites accepti cepere.*

43, 14, 5 *censui censendo.*

40, 17, 7 *consules patres consuluerunt*; cf. 45, 20, 6.

[40, 8, 16 *vecordi discordia*].

7, 31, 8 *data mandata*; cf. 40, 21, 11; 24, 4. 5, 36, 1 *mandata ediderunt*; cf. 45, 20, 2. 44, 45, 7 *oppidum deditum datur.*

4, 48, 6 *dicitur dixisse*; cf. 9, 7, 2. [3, 56, 4 *iudicem dices*]. 2, 30, 6 *edictum a dictatore propositum.*

3, 28, 10 *ducem adduci iubet*; cf. 29, 4 *ducti hostium duces*; cf. 4, 10, 7. 43, 1, 8 *duces abductos.*

[1, 41, 3 *facinus fecere*]; cf. 2, 4, 4. [6, 15, 12 *rem facilem difficilem facit*; cf. 41, 24, 1]. 7, 25, 9 *facile efficiant.* 42, 1, 7 *honorifice factum.* 1, 26, 13 *sacrificiis factis*; cf. 31, 8; 45, 6. 42, 1, 7 etc. 10, 38, 7 *sacrificio perfecto*; cf. 41, 9, 8 etc.

4, 16, 4 *refellit falsum imaginis titulum.*

2, 63, 2 *latura plebes dilationem*; cf. 9, 43, 9.

5, 37, 7 *flumen defluens.*

3, 26, 9 *fossam fodiens.*

1, 21, 1 *ius iurandum* saepissime invenitur; cf. 24, 6; 9; 32, 8 rell. 4, 10, 6 *iniuriam iudicii.*

(1895), 653. C. F. W. Müller, Synt. des Nom. u. Akk. 4 sqq., qui multa exempla ex omnibus scriptoribus collegit. A nonnullis affertur Chr. Th. Schuch, Der Objektsakkusativ der lateinischen Sprache, 1844, quo libro non usus sum.

[2]) cf. 4, 16, 3 *seditionem sedare.*

[8, 38, 14 *impediti impedimentis*].

[4, 4, 11 *itinere eat*]; cf. 8, 30, 12. 41, 19, 8.

3, 34, 2 *legere leges*; [64, 10 *legitimi eadem lege*].

44, 18, 8 *ludis . . . elephantos lusisse.*

41, 2, 4 *perlucens lux.*

45, 10, 2 *navibus navigare.*

[7, 30, 20 *adnuite nutum*].

2, 51, 9 *occidione occidi*; cf. ‖ 3, 10, 11 ‖. 4, 58, 9. 9, 38, 3; 44, 12. ‖ 10, 39, 13 ‖.

2, 58, 5 *odisse odio.*

40, 25, 3 *pacisci pacem.*

[5, 53, 1 *piaculis expiari*] (deest apud Hertzium, cf. adn. Weißenb. p. 281).

40, 24, 6 *poculo epoto.*

6, 42, 5 *pugnam pugnatam*; cf. 9, 37, 11. 40, 52, 6.

42, 31, 1 *sectam secuti*; cf. ‖ 8, 19, 10 ‖.

1, 41, 6 *in sede sedens*; cf. 47, 8; 48, 1 *in sede considere*; cf. 42, 39, 8. 7, 1, 5 *sellis sedentes.* [3, 68, 8 *sedemus desides*]. 1, 21, 1 *assidua insidens cura.* 42, 65, 12 *circumsederi praesidium.* 10, 4, 11 *considerant in insidiis*; cf. 43, 23, 4. 5, 16, 2 *praesidium obsidebatur*; cf. 42, 66, 2. 1, 14, 7 *subsidere in insidiis* simill.

3, 17, 10 *sermones serere.*

40, 18, 7 *servitutem servissent*; cf. 45, 15, 5.

40, 23, 7 *litteras signo signatas*; cf. 44, 27, 9.

2, 56, 14 *sustinebat Appius pertinacia.*

3, 13, 8 *vadibus accusator vadatus est reum.*

‖ 2, 44, 11 *traditam victoriam victis* ‖.

‖ 4, 24, 5 *partem vitae vivere* ‖.

5, 33, 7 *vocabulo . . . vocare*; cf. ‖ 7, 15, 2 *voce vocare* ‖. 41, 2, 7 *vox audiebatur vocantium.*

Sed ut neglegamus cetera exempla, tempus vocat; figuram etymologicam [3]) satis esse crebram (CL fere exempla inveni) omnes concedent, et exempla in posterioribus libris frequentiora esse ne-

[3]) Adduntur a nonnullis exempla ut 4, 8, 2 *incremento aucta.* 8, 3, 9 *nominatim evocare*; 9, 4 *voce inclamat.* 9, 40, 17 *nomine compellarunt.* 10, 14, 18 *metu terruere.* 40, 22, 1 *iter est ingressus.* 44, 7, 6 *progressus iter*; simill. Talia quoque exclusi: 42, 53, 4 *vehicula imperata ut . . . veherent.* 43, 8, 8 *vehicula, quae . . . pervcherent* etc.

gari non potest. Eas autem formulas, quas in adn. attuli, similiaque hinc esse excludenda putabam, quod in hac quoque figura aures aliquid videntur valere atque, si ita exempla allata recensueris, ea huc pertinere non videbuntur.

Quibus rebus satis explanatis ad eam accedamus figuram, quae

XXXVII. Ὁμοιοτέλευτον[1])

vel *ὁμοιόπτωτον*[2]) appellatur.

§ 1. Qua de figura veterum dissensio non est parva. Nos ea tantum afferemus exempla, in quibus fines eundem referunt sonum, sed hic quoque illorum impedimur sententia, qui in omni fere repetitione vitium quoddam elocutionis statuere volunt; sed iam in prioribus capitibus quae proferuntur ab iis satis esse attenuata videntur, qua re in homoeoteleuto eis refutandis minorem operam dabimus. Quae cum ita sint, auctoritate duorum virorum doctissimorum sententiam meam aliquatenus affirmari gaudeo. Lobeckius enim haec de hac re verba fecit[3]):

c. XXXVII adn. [1]) Straub 141. Volkm. 483. Dzial. 19. Groß 144. Gerb. II 1, 143. Schuch 21 et 26. Cadenbach 7. Kraffert 721. Buchhold 17. Pretzsch 38. Petzke 79. Woelffl. Liv. Krit. 6 et 16. Kühn. 336. Norden Aeneis VI, 396 et K. P² 810. Stolz-Schmalz⁴ 677. Robertson 18. Poggel, Grundzüge einer Theorie des Reims und der Gleichklänge, Hamm 1834. Kahlert, De homoeoteleuti natura et indole, diss. Vrat. 1836. Cf. G. Ebers, Zeitschr. f. ägyptische Sprache und Altertumskunde XV (1877), 43. Bücheler, Rh. M. 34 (1879), 345. W. Meyer, Abhdlg. d. kgl. b. Ak., phil.-hist. Klasse XVII (1885), 1. Abtlg. 267 vel in Gesammelte Abhdg. II, 1. Wölfflin, Arch. f. l. L. I (1884), 350. Dissentit O. Dingeldein, Gleichklang und Reim in antiker Poesie, progr. Büdingen 1882; cf. Weyman, Wchschr. f. kl. Ph. VI (1889) Nr. 41. Dingeldein, Der Reim bei den Griechen und Römern, Lpzg. 1892; cf. Blümlein, Arch. f. l. L. VIII (1893), 457. K. Bruchmann, Poetik. Naturlehre der Dichtung, Bln. 1898, p. 40. H. Semper, Altes und Neues in Rhythmus und Reim, Lpzg. 1905, quo libro non usus sum. Idem valet de his libris, qui a nonnullis afferuntur: Fauchet Recueil de l'origine de la langue française, 1581 I, VII p. 63. Muratori, Antiquitates ital. medii aevi, 1738 sqq., Diss. 40. Guingené, Histoire littéraire de l'Italie, 1811, I, 250. Sismondi, De la litterature du midi de l'Europe 1813, I, 64. Ewald, De metris carminum arabicorum, Brunsvig. 1825. Freytag, Darstellung der arabischen Verskunst, Bonn 1831.

[2]) Aquila H. 30. Tib. 75. auct ad Heren. 4, 20, 28 (similiter cadens vel desinens). Quint. 9, 3, 75.

[3]) Paralip. gram. Graec. I, 53.

Saepenumero fit, ut quae per se considerata minus probentur, certo loco et tempore plurimum gratiae afferant; sed multo subtilius W. Grimm[4]), cuius de hac re dissertatio saepissime magna cum iniuria neglegitur et despicitur (cf. Norden K. P.² 829), monere videtur: Die lateinische sprache mit ihren volltönenden endigungen brachte ihn (sc. den Reim) häufig von selbst hervor, und es würde, auch wenn man die absicht gehabt hätte, schwierig gewesen sein, ihn zu verbannen; außerdem schmeichelte der gleichklang dem ohr zu sehr, als daß man ihn hätte abweisen sollen . . . man hat wohlgefallen daran gehabt und ihn nicht bloß zugelassen, sondern auch gefördert, nur niemals mühsam herbeigeführt. Contra illud tenendum semper est nostras aures nimio studio, cum multo pleniores sint terminationes in antiquis linguis quam in recentioribus, ibi quoque figuras indagare, ubi veteres figuram non sentiebant, quo fit, ut quam diligentissime exempla huius figurae quaerenda et eligenda sint[5]).

§ 2. Atque primum de eis huius generis formis agamus, quae certe rhetorica sunt atque a nullo aliter sentiuntur, qualia sunt haec: 1, 20, 2[6]) *creavit — adornavit — adiecit — legit — statuit — fecit — legit — dedit — iussit — legit — attribuit.* ‖ 2, 24, 6 *teneret — fieret — esset — possideret aut venderet* ‖; 37, 1 *decrevit; — venit. — venit; dicit esse quae — velit. — inquit.* Quibus cum exemplis priorum librorum conferas sis: [9, 1, 5 — *fecimus? — remisimus; — potuimus, — dedimus; — portavimus*; 11, 6 *stetis? dedistis: subduxistis — redemistis: — pepigistis, — facitis, — imponitis*]; 17, 15 *castris locum caperet, commeatus expediret, ab insidiis prae-*

[4]) Abhdlg. d. kgl. Ak. d. W. z. Berlin 1851, 679; exstat etiam in Kleine Schriften IV, 125. Cf. A. Ehrenfeld, Studien zur Theorie des Reims I, diss. Zürich 1897, p. 97.

[5]) Wölfflinus p. 16 haec dicit: Es ist zwar der Natur der Sache nach schwierig positiv zu beweisen, ein wie feines Ohr Livius für den Wohlklang gehabt, was er ihm alles zum Opfer gebracht; viel leichter, die Verletzung desselben zu konstatieren. Haec rectene sint dicta dubito; hic quoque id valet, quod supra ad satietatem exposuimus, atque quotiens erraverint viri docti in hac re infra demonstrabitur. — Bruchmannum non recte iudicavisse satis elucebit, qui p. 43 de homoeoteleuto apud scriptores Latinos docet: Die kunstmäßige Prosa braucht den Reim wesentlich nur in den Formeln der Volkssprache.

[6]) cf. c. XXXIII adn. 6.

caveret, tempus pugnae deligeret, aciem instrueret, subsidiis firmaret! non cum Dareo rem esse dixisset e. q. s. [10, 7, 12 *reddamus* —, — *acceperimus* — *exspectamus,* — *colimus,* — *colamus*]; 33, 2 *eunt* — *noscunt,* — *cedunt* — *accipiunt; resistunt,* — *inferunt* — *quo coeperunt, expellunt* — *receperunt.* 40, 44, 11 *arcesseret, cogeret, acciperet, faceret*; [46, 7 *has ut hodie* — *finiatis simultates, quaesumus* — *et* — *sinatis; uno animo legatis senatum, equites recenseatis, agatis censum, lustrum condatis*]. 41, 27, 8 *straverunt* · *saepserunt* — *curarunt* — *fecerunt* — *straverunt* — *fecerunt* — *locaverunt* — *sumpserunt.* [42, 40, 5 — *expulisti;* — *recepisti;* — *isti;* — *misisti auxilia;* — *pepigisti*]. 45, 31, 1 *ostendisset* — . — *utra regi favisset quaesitum est, quam utra fecisset iniuriam aut accepisset.*

Quae multitudo insigniorum exemplorum facile augeri potest atque multitudo exemplorum, quae tria vel quattuor membra exhibent, magna est. Sed ne ea tantum vim habere putes, liceat pauca duorum tantum membrorum *ὁμοιοτέλευτα* addere, ex quibus eorum pondus intelleges: [4, 4, 3 *decemviros . . . intra decem hos annos et creavimus et e re p. sustulimus*]; 55, 3 *nunc detinenda, nunc concienda plebes.* [5, 5, 3 *non differimus igitur bellum isto consilio, sed intra fines nostros accepimus*]; ‖ 24, 9 *adversus quae cum optimates ita tenderent, ut morituros se citius dicerent in conspectu populi Romani* ‖ . [6, 26, 5 *oculis magis quam auribus crediderunt et . . . ne ipsi quidem fecerunt.* 40, 35, 11 *milites dimittantur, veteribus militibus tirones immisceantur*]. 41, 6, 2 *cum . . . lacerarent rogationemque promulgarent*; simill.

Sed haec hactenus. Leviores eos esse locos, qui tertia persona indic. perf. act. formantur, apertum est. Monendum videtur verba, quae hanc figuram efficiunt, ipsa collocatione creberrime esse insigniora; saepissime enim in singulis sententiis eisdem fere locis ponuntur, gravissimeque in finibus, quo *παραλληλισμός* quidam efficitur; atque *χιασμός* quoque nonnunquam adhibetur; rarius verbum in fine sententiae et primariae et secundariae ponitur; quo modo excoluerit Livius homoeoteleuti figuram, hoc angustiore loco satis non potest demonstrari, sed ex exemplis allatis satis, ut opinor, apparet magnam diligentiam Livium in homoeoteleuton excolendum impertivisse.

§ 3. Homoeoteleuto subiungitur, quamquam diligentissime discernendus est ab homoeoteleuto verborum, ille usus, quem Livius, ut viri docti docent, non satis diligenter vitavit[7]). Saepius enim apud eum nonnulla vocabula, quae in extremo eundem referunt sonum, aliud post aliud nullo intervallo interposito scripta videmus, ex quibus ea excludenda sunt, in quibus homoeoteleuton elisione vitatur[8]). Vulgarem fere opinionem haec vitia elocutionis perpolitae esse habenda falsam esse vel inde cognosci potest, quod apud alios quoque auctores, et poetas[9]) et prosaicos, saepe hoc vitium quod vocant invenitur. Atque ad eandem argumentationem ac priore loco redeo (cf. c. XXXIII), quo fit, ut molestus ne sim paene verear, sed me pro mea parte hoc opusculo, ut deleatur illa sententia de vitiosa repetitione vocum in lingua latina, effecturum esse spero: probari non potest Livium, qui elocutionem suam summo studio excoluit, multis locis vitia quasi adcumulasse et eorundem vocabulorum *malum sonum* neglexisse.

Grimmii verbis de plenioribus finibus vocum in memoriam revocatis accedamus ad exempla afferenda, qua in re brevis esse possum, cum haec ratio raro tantum vim rhetoricam habeat atque nihil aliud sit nisi usus, qui a nostrorum temporum consuetudine differat: [1, 7, 10 *interpres deum, aucturum caelestium numerum cecinit*]; 12, 1 *Romanus exercitus instructus*; 14, 7 *modico praesidio relicto*[10]); 19, 4 *finitimorum . . . externorum periculorum*[11]); [23, 7

[7]) cf. Weißenb. ad 1, 7, 10. Müll. ad 1, 7, 10. 2, 15, 7 etc.

[8]) cf. 1, 7, 11 *fata ara condita ac dicata ait* simill.

[9]) In auctoribus legendis praeter alios locos observavi Stat. Silv. II, 1, 92 *Pallantis ovantis*, cf. adn. Vollmeri. II, 6, 1 *-is* quinquies in fine vocum sese excipientium exstat, Theb. III, 5, 45 et IX, 19 *-as* quater. Hor. carm. I, 2, 1 *-is* quater; simill.

[10]) Aliud huius paragraphi exemplum omitto (*densa obsita virgulta*), cum de textu legendo viri docti dissentiant.

[11]) Talia Luterb. ad 4, 25, 7 epitheto „übelklingend" significat neque tamen rara sunt; sed vir d. *consilia ad movenda bella*, quod l. c. invenitur, ita declarat, ut Livius hac inusitata coniunctione illam *movendorum bellorum* vitare voluerit. Sed cur aliis locis vitium scriptor non sensit, si hoc loco consilio atque ratione vitaverit? Woelffl. quoque p. 16 docet Livium gerundiva in *-orum* etc. exeuntia gerundii formis mutavisse, quod nonnunquam rectum esse non nego. Id quoque affert poni *novandi res* pro *novandarum rerum*, ut malus sonus quidam vitetur, id quod equidem nego. — Woelffl. quod ad hanc rem attinet vituperatur ab Eva Johnston, De sermone Terentiano quaestiones duae, diss. Regimont. 1905, p. 61 adn. 2.

duos cognatos vicinosque populos; 24, 8 *publico consilio dolo malo*; cf. ibd. 7[12]); 32, 11 *quarum rerum litium causarum*[13])]; ibd. 12 *hastam ferratam aut sanguineam praeustam*; 44, 5 *habitari neque arari*[13]); ‖ 53, 9 *superbissimum regem ac ferocissimum populum inventurum* ‖; 58, 4 *iugulatum servum nudum positurum*; ibd. 7 *tantum violatum*; ibd. 10 *peccato absolvo, supplicio non libero*; 59, 4 *querellarum atque inertium lacrimarum*; ibd. 8 *indignior ac miserabilior.* 2, 53, 3 *duae potentissimae et maximae finitimae gentes superatae.* 4, 9, 2 *optimo consilio cum populo Romano.* [40, 9, 4 *praeterito periculo meo moveris neque futuro*]. ‖ 42, 12, 6 *augustissim(o) et celeberrum(o) in templo, tertio Delphis. in Achaico concilio vero.* 43, 5, 2 *Alpinorum populorum agros, sociorum suorum, depopulatum C. Cassium* ‖; 12, 5 *alteri consuli nullus certus finitus numerus civium Romanorum*; 16, 13 *obsignatis tabellis publicis . . . et dimissis servis publicis.* 44, 28, 14 *octingenti ferme Gallorum occisi, ducenti vivi capti; equi pars in mari . . . absumpti, parti*; 36, 5 *vigentes et voces segniores . . . incumbentes.* 45, 3, 6 *sumptu-*

---

12) Formula antiquissima est.

13) Quod quin vitium sit, si conferamus 35, 3 *indignari mirarive*, quis dubitet, nam mollitur malus sonus adiecto *ve*, ut illi, quorum sententiam non sequor, demonstrant; cf. Woelffl. p. 16 de *que* particula, qui citat 1, 7, 9 *ampliorem augustioremque.* Livium ad eiusmodi elocutionem componendam talibus causis esse permotum, equidem tantum abest, ut concedam, ut statuam, si de hisce ineptiis hoc modo iudicare volumus, non difficile esse comprobare formam *ampliorem augustiorem* multo pleniore sono rem ipsam auctiorem sub oculos subicere; atque huius modi multa exempla facile colligi possunt. Woelfflinum de comparativis vitatis recte non iudicasse, cum dicit: die drei- und viersilbigen Reime, die leicht durch Verbindung zweier Komparativformen entstehen, vermeidet L., indem er statt *et* oder *ac*, *atque* das angehängte *que* gebraucht, multi loci indicant; cf. 4, 2, 9 *non mitiorem . . . sed asperiorem*; 59, 6 *fugientium ac resistentium.* 5, 27, 2 *modo brevioribus modo longioribus.* 9, 31, 4 *ditissimum atque opulentissimum*; 32, 3 *celeriora quam tutiora.* 10, 25, 10 *mobiliorem ac salubriorem*; cf. 42, 10, 13; [61, 7]; 63, 2. ‖ 44, 34, 3 ‖; 35, 7. ‖ 45, 19, 16 ‖ simill. Vel quid de genetivis pluralis primae et secundae, quos supra attigimus, quid de dativis pluralis tertiae declinationis dicemus? Plura a Woelfflini aliorumque sententia abhorrent, quam ut eos sequamur; cf. 5, 24, 6 *publicorum privatorumque tectorum ac locorum.* 40, 15, 3 *criminibus et suspicionibus*; 18, 6 *veteribus praetoribus imperium est cum exercitibus.* 43, 2, 7 *duarum provinciarum* etc. Sed quoquo modo res se habet, qua causa commotus Kühn. l. l. eiusmodi cum exemplis locum Ciceronianum comparet, pro Sestio 42, 92 *ius atque vis*, equidem intellegere non possum.

osum ac damnosum; 30, 5 *permultos Gallos et Illyrios impigros* simill.

Quibus ex exemplis satis apparebit crebriorem eum usum esse in omnibus libris, quam quem vitiosum habere possimus; atque cum supra constituerimus talibus exemplis vim rhetoricam nullam fere inesse, illud hic rursus probari fortasse potest: ludi gratia multos locos effectos, multos ex natura ipsius linguae esse natos, cum homoeoteleuton duarum syllabarum saepius omnino non sentiatur.

Sed ne Livium in omnibus rebus defendere videar, ita ut nihil nisi laudes de eo proferam, exempli causa nonnullos addam locos, qui certe aures legentium „malo sono" offendere videntur: 2, 48, 2 *priusquam quisquam*. 4, 7, 3 *magistratus eius ius*. 5, 46, 3 *neglegens gens*. [9, 9, 1 *profanos nos*] simill., quae cum omnino tum in dec. V rara videntur.

§ 4. Quibus absolutis si summam totius capitis subducimus, dicendum erit in homoeoteleuto quoque, quamquam multo minores, difficultates inveniri. Livium hanc figuram excoluisse negari omnino non potest[14]) neque minus hanc figuram valere ad orationes exornandas; neque tamen reiciendum est casum in hac quoque re aliquid valere, si Decii orationem vehementem contra Appium habitam inspicimus (10, 7, 9—8, 12), quae homoeoteleuta in capite octavo uno levi exemplo excepto non continet. In prioribus libris decadis I numerus exemplorum paulo minor videtur quam in posterioribus.

Sed haec hactenus; iam transeamus ad eam figuram, quae

XXXVIII. Contentio[1])

nominatur sive *ἀντίθετον* vel *ἀντίθεσις*. Fit autem contrapositum vel contentio, *si singula singulis opponuntur et bina binis et sententiae sententiis*[2]); sed cum nativa quaedam, ut ita dicam, sint contraposita, in eligendis exemplis impedimur. Quae cum ita sint, leviora et vulgariora exempla neglegens, artificiosiora tantum et

---

[14]) Quae cum ita sint, equidem iudicium Schmalzii l. l. intellegere non possum: auch Livius . . . [ist] äußerst sparsam im Reim.

c. XXXVIII. adn. [1]) auct. ad Heren. 4, 15, 21 et 45, 58. Straub 142. Groß 262. Dzial. 21. Monse P. 14. Elster 395. R. M. Meyer 122. Robertson 13.

[2]) Quint. 9, 2, 81. Cic. or. 135.

rhetorica, quae verborum concinnitate eminent vel cumulatione multorum contrapositorum vel alia aliqua re excellunt, afferam: ‖ 1, 9, 15 *quibus fors corpora dedisset, darent animos* ‖ ; 47, 10 *non interregno . . . , non comitiis habitis, non per suffragium populi, non auctoribus patribus, muliebri dono regnum occupasse.* ‖ 6, 11, 4 *a M. Furio recuperari patria . . . non potuerit, nisi a se prius . . . arx servata esset, et ille inter aurum accipiendum . . . Gallos adgressus sit, ipse armatos capientesque arcem depulerit, illius gloriae pars virilis apud omnes milites sit, qui simul vicerint, suae victoriae neminem omnium mortalium socium esse constet* ‖ ; [18, 10 *tam parvus animus tanti populi est*[3]). 41, 24, 17 *rem parvam et apertam magnam et suspectam facimus.* 42, 41, 9 *et haec quidem mihi tamquam causam dicenti reo obiecta sunt, illa tamquam regi*]; ‖ 52, 10 *respicerent . . . , quantum . . . praestarent tironibus raptim ad id bellum conscriptis ipsi, a pueris eruditi artibus militiae . . . . ; auxilia Romanis Lydos et . . . esse, sibi Thracas Gallosque, ferocissimas gentium. arma illos habere ea, quae sibi quisque paraverit pauper miles, Macedonas prompta ex regio apparatu . . . facta. commeatum illis cum procul, tum . . . fore; se et pecuniam et frumentum . . . in decem annos seposuisse.* 43, 20, 2 *voluntatem sibi non deesse ad bellandum cum Romanis, ceterum ad conandum id, quod velit, pecuniam maxime deesse* ‖ etc.

Distribui possunt contentiones, quae concinnitate quadam saepe excellunt, in duas partes, quarum altera verbis, altera enuntiatis contrapositis efficitur; atque in illa classe singula singulis vel bina binis opponuntur; crebriora autem et insigniora esse ea exempla videntur, quae totis enuntiatis efficiuntur et saepissime anaphora, reduplicatione, homoeoteleuto, chiasmo, aliis figuris ornata sunt; id quoque fit, ut ἀσυνδέτως sententiae ponantur. Quamquam antitheses in Livi opere rara non sunt, tamen exempla, in quibus contentio per complura enuntiata ducatur (cf. ‖ 42, 52, 10 ‖), saepius non exstant. Insigniora exempla orationibus maximeque eis posteriorum librorum continentur. A contraposito non multum abest

[3]) Non multum ab oxymoro abhorret exemplum.

XXXIX. Oxymoron[1]),

quod repugnantibus utitur, quae cum se invicem tollere videantur, non plane tamen tollunt[2]), cuius figurae raro exempla inveniuntur: 1, 58, 8 *pestiferum gaudium*[3]). 2, 51, 9 *temeritate felici.* ‖ 3, 50, 6 *misericordia se in speciem crudelitatis lapsum* ‖ ; 64, 6 *auctores populares sententiae haud popularis.* [4, 4, 6 *quid est aliud quam exsilium intra eadem moenia, quam relegationem pati?*]. ‖ 10, 24, 11 *ut faveat Q. Fabi gloriae, quae modo non sua contumelia splendeat* ‖ ; 41, 4 *timor moraretur a fuga*[4]); decadi V deesse exempla videntur.

Quibus leviter perstrictis nunc, ut verborum figuras absolvam, restare videtur, ut

XXXX. De commutatione[1])

pauca adiungam, quae a Graecis ἀντιμεταβολή dicitur vel σύγκρισις vel μετάθεσις. *Locum autem habet commutatio, cum duae sententiae inter se discrepantes ex traiectione ita efferuntur, ut a priore posterior contraria priori proficiscatur, ut „esse oportet ut vivas, non vivere ut edas“*[2]). Huic generi Straubius falso mea quidem sententia subiungit χιασμόν, qui dicitur. Commutatio autem et χιασμός hac re inter se differre videntur, quod χιασμός collocatione verborum tantum efficitur, cum in commutatione sensus totius enuntiati magni momenti sit; qua re ego proprium caput utrique figurae reservavi atque commutatione absoluta breviter de χιασμῷ disseram. Nunc autem illius figurae exempla recenseamus: 1, 27, 2 *ut prius in bello pacem, sic in pace bellum*; 52, 6 *ut ex binis singulos faceret binosque ex singulis.* 2, 48, 6 *bellum quiete, quietem bello invicem eludentes*; 57, 4 *non consulem senatui, sed senatum consuli deesse.* [5, 4, 4 *nusquam nec opera sine emolumento*

c. XXXIX. adn. 1) Straub 145. Groß 269. Volkm. 434. Gerb. II 2, 76. Voß II, 407. R. M. Meyer 40. Ant. Albalat, La formation du style, Paris 1901, p. 191.

2) G. Hermann, opusc. 105.

3) 1, 38, 7 *materna patria* huc trahi potest, si non sensum, sed formationem vocum respicimus.

4) cf. adn. Weißenb., qui citat 21, 40, 6: eine Art Oxymoron.

c. XXXX. adn. 1) Straub 146. Groß 267. Ps. Rufin. H. 50.

2) Straub l. l.

nec emolumentum sine impensa opera est. 9, 23, 11 *armis munimenta, non munimentis arma.* 10, 8, 5 *cuius tam dictatoris magister equitum, quam magistri equitum dictator esse potes.* 45, 22, 10 *quem ad modum Antiochi Philippique bello pro vobis adversus regem, sic nunc pro rege adversus vos stetimus*].

Vides, quam rara haec figura sit, qua re accedamus ad

XXXXI. Chiasmum[1]),

cuius natura notior est, quam quae longiorem definitionem postulet. Straubii errore commotus hanc figuram hic tractabo, quamquam rectius fortasse cum eis figuris coniungitur, quae collocatione verborum efficiuntur, i. e. anaphora similibusque. Mirum videtur, quod plurimi hunc usum in figuris non habent. Adhibetur autem chiasmus vel amplificandi vel variandi vel comparandi vel opponendi causa atque internoscimus tria chiasmi genera:

I. Eadem duo verba posteriore parte enuntiati mutato ordine leguntur: [9, 1, 4 *quibuscumque dis cordi fuit . . . , iis non fuisse cordi*; 34, 8 *non teneri Aemilia lege populum? an populum teneri . .*]. 10, 1, 1 *Soram atque Albam coloniae deductae. Albam . . . Sora . . .*; 6, 6 *quattuor augures, quattuor pontifices . . . pontifices . . augures*; cf. 27, 10. [5, 51, 3]. 6, 18, 2. [42, 34, 8]; ‖ 47, 5 ‖. 43, 2, 9. 44, 40, 2 etc. Sed hoc genus rarum et saepius leve tantum est; similiter adhibetur [40, 46, 12 *amicitias immortales, mortales inimicitias debere esse*].

II. Singula vocabula in chiasmi structura redeunt: [6, 7, 4 *Veios captos et in capta patria*]; 14, 11 *nec iam possidendis publicis agris contentos esse, nisi pecuniam quoque publicam avertant.* 7, 4, 2 *acerbitas invisa erat et ante omnia invisum ingenium.* [8, 4, 4 *ubi pars virium, ibi imperii pars est*]. 40, 18, 8 *alter dextram partem . . .*, *laevam alter.* 43, 13, 6 *alterum quod in privato loco, alterum quod*

c. XXXXI. adn. [1]) Hermogenes Sp. I, 243. De hac re Kühn. p. 326 fusius quam de ceteris figuris disserit, qua re brevis sum. Nägelsbach, Stilist.[7] 538 et 546. Groß 189. Secundum Steele (ap. Stolz-Schmalz 643) Livius adverbia, nomina, verba saepius χιαστικῶς adhibet, quorum usus in anaphora rarus est, cf. c. XVII § 1. K. Lorenz, Über Anaphora und Chiasmus in Cäsars Bellum Gallicum, progr. Kreuzburg 1875. Gerb. I, 590. R. M. Meyer 125. Cf. Kaibel o. c. 100. Non usus sum libro conscripto a K. Meyer, Wort- und Satzstellung bei Sallust, Magdeburg 1880.

in loco peregrino; 18, 7 . . . *est adortus et conatus est.* || 44, 37, 6 *ab hora secunda usque ad quartam horam* || ; cf. 43, 20, 2, quod c. XXXVIII extr. allatum invenies, etc.

III. Chiasmus formatur non iisdem vocibus, sed membris, quae ratione grammatica vel sensu aliud alii respondent: 1, 6, 4 *Palatium Romulus, Remus Aventinum . . . capiunt*; || 9, 4 *deos adfuisse et non defuturam virtutem* || ; ibd. 13 $\overbrace{\textit{incusantes violati hospitii scelus}}^{a}$*** *deumque** $\overbrace{\textit{invocantes}}^{b}$, *cuius ad sollemne ludosque per fas* ac fidem** venissent.* 2, 4, 3 *consultando absumunt evincuntque instando.* || 6, 37, 4 *ubi imperium apud illos, penes se auxilium tantum sit* || . [9, 9, 4 *tam sponsiones* quam foedera** sancta esse apud eos homines, apud quos iuxta* $\overbrace{\textit{divinas religiones}}^{a}$**** $\overbrace{\textit{fides* humana}}^{b}$ *colitur.* 10, 29, 17 *caesa eo die hostium viginti quinque milia, octo capta*[2]). [40, 5, 11 *tantum est in** $\overbrace{\textit{externis auxiliis}}^{a}$ *praesidii**, quantum periculi** in** $\overbrace{\textit{fraude domestica}}^{b}$; 9, 1 *aperienda ianua et comisatores accipiendi praebendumque ferro iugulum*; 46, 8 *legatis senatum, equites recenseatis, agatis censum, lustrum condatis*]. 44, 25, 3 *cernebat et Persea* . . . Romanos** quoque. hac utriusque partis voluntate explorata, quod fieri etiam sua sponte taedio validioris**, metu inferioris* credebat;* simill.

Haec habeo, quae de verborum figuris proferam; quod ad eorum numerum attinet, inter singulos libros non permultum interesse elucebit, etsi decas V nonnunquam minorem numerum continet; sed id certe tenendum atque premendum videtur eas in prioribus libris primae decadis minus diligenter atque artificiose a Livio esse adhibitas.

[2]) De eiusmodi exemplis cf. Gottl. Richter, Beiträge zum Gebrauch des Zahlworts im Lateinischen I, Gebrauch des Livius, progr. Oldenburg 1880, p. 33.

Nunc pauca addenda videntur de universo figurarum colore atque usu, quamquam facile non est ex tam multis milibus exemplorum atque saepissime incertis locis certum iudicium ferre[3]). Figuras saepissime inveniri nemo negabit atque satis esse demonstratum puto vitia, quae a plerisque Livio obiciuntur, rarissime tantum statui posse. Id quoque certum est orationes summo cum studio esse ornatas, quamquam me non fugit differentias quasdam facile statui posse, qua de re pauca superiore loco protuli. Sed cum primum probari posse putarem Livium in prioribus orationibus colorem quendam et speciem antiquitatis affectasse, rebus diligentius tractatis hanc sententiam abieci; neque tamen negari potest singulas orationes nonnunquam proprium exhibere colorem, quae cum longiora sint, quae hoc loco tractentur, nunc quidem omitto.

---

[3]) Liceat hoc loco pauca adnotare ex priore parte dissertationis meae, quae typis non impressa est. Tropi quoque saepissime in nostris libris leguntur, quorum metaphora pulcherrima et usitatissima est, cuius MMMMDCC circiter exempla, si numerum quaeris, in plus quam DCCC disparibus vocabulis inveni. Crebriores autem tropi sunt in prioribus libris quam in posterioribus, cuius rei causa, quod quidem ad nonnullas partes maximeque primi libri attinet, ex eo esse quaerenda videtur, quod Livius cum primordia urbis obvoluta fabulis atque tota antiquitate narraret, poetae similior erat quam historico vel oratori; cf. G. Schneider, De M. Valerii Martialis sermone observationes, diss. Vrat. 1909, p. 46 et 47, qui breviter praeter alios hanc rem attigit. De similitudinibus quibusdam, quae intercedunt inter Livium et poetas, qui illis temporibus vel paulo antea fuerunt, multa in editionibus textui adscripta invenies; cf. Weißenb. ad 42, 41, 3 etc. Stacey, l. l. 17.

Vita.

Natus sum Waltharius Eckert pridie Id. April. anni MDCCCLXXXVII Iavoriae in Silesiae inferioris oppido patre Hugone matre Alma e gente Kerberana, quos ambos adhuc salvos esse gaudeo. Fidem profiteor evangelicam.

Litterarum elementis imbutus gymnasium Iavoriense adii, quod Michaele regente florebat, et maturitatis testimonium adeptus sum vere anni MCMV. Deinde Posnaniam me contuli, ut stipendia facerem et in Academia Regia scholas audirem virorum doctissimorum Bernhard, Frederich, Kühnemann. Stipendiis confectis almam matrem Vratislaviensem petivi, ut studiis philologicis operam navarem.

Docuerunt me imprimis viri doctissimi: *Baumgartner*, *Cichorius*, *Cohn*, *Förster*, *Gercke*, *Hoffmann*, *Kampers*, *Kaufmann*, *Muther* †, *Preuß*, *Scheer*, *Seger*, *Semrau*, *Skutsch*, *Stern*, *Wendland*, *Zacher* †, *Ziegler*.

Seminariis et exercitationibus interfui professorum Baumgartner, Cichorius, Förster, Preuß, Skutsch, Stern, Wendland, Ziekursch.

Quadriennio studiis consumpto Vratislavia in vicum prope Waldenburg situm, qui nominatur Tannhausen, demigravi, ubi inde a die IV. mensis Aprilis anni praeteriti liberos Francisci et Violetae Kauffmann usque ad hoc tempus doceo, quibus propter magnam in me benevolentiam gratias ago maximas.

Omnes autem praeceptores meos semper animo gratissimo colam atque imprimis Skutschium, qui me et ad hanc dissertationem scribendam incitavit et pro sua humanitate in perficiendo hoc opusculo opera et consilio adiuvare non desiit.